O Virginem admirandam! Parentum reparatricem, & poſterorum vivificantem! Idem ſuper miſſus eſt.

Inveniunt in Maria captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, juſtus gratiam, peccator veniam. Idem ſerm. in ſignum.

Maria omnibus Miſericordiæ ſinum aperit. Idem ibidem.

In Maria nihil auſterum, nihil terribile, ſed eſt tota ſuavis. Idem ibidem.

Si non vis pati repulſam, per Mariæ manus offerre memento, quidquid offerre vis Deo. Idem.

Maria in omnibus invocanda neceſſitatibus. Idem ſermone ſuper Miſſus eſt.

Qui digne coluerit Mariam, juſtificabitur, & qui neglexerit eam, morietur in peccatis ſuis. S. Bonaventura in Pſalter.

Maria fideliſſima Mediatrix noſtræ ſalutis. Idem in ſpeculo cap. 8.

O Maria! peccatorem toti Mundo deſpectum materno affectu complecteris, foves, non deſeris, quouſque tremendo Judici miſerum reconcilies. Idem ibidem.

Majorem Mundum Deus facere poteſt, majorem Matrem, quam Matrem Dei facere non poteſt. Idem ibidem.

Spes deſperantium, portus naufragantium, & auxilio deſtitutorum unica adjutrix. Sanctus Ephrem de laudibus Virg.

In cauſſa deſperatiſſima obtinuit inter Deum, & hominem, quod voluit Beata Maria. S. Antoninus tit. 15. cap. 19.

Non præſumat aliquis Deum ſe habere poſſe propitium, qui benedictam Matrem offenſam habuerit. Guillelmus Pariſienſis 1. Rhet. Col.

Quam Matrem Miſericordiæ, & Reginam pietatis clamitat omnis Eccleſia Sanctorum. Idem ibidem.

Cujus Miſericordia nulli unquam defuit, cujus benigniſſima humilitas nullum unquam deprecatorem quantumcumque peccatorem deſpexit. Idem.

In omni periculo potes ſalutem obtinere ab ipſa glorioſa Virgine. S. Thomas opuſc. 8.

Inventa Maria, invenitur omne bonum; ipſa namque diligit diligentes ſe, immo ſibi ſervientibus ſervit. Idiota præfat. in Cant.

Maria non recedat ab ore, non recedat a corde. Sanctus Bernardus ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu depromi poſſit in hoc argumento.

Cultus Deo debitus nõ prohibet illum, qui debetur Sãctis, & præſertim Mariæ Sanctorum omniũ Reginæ.

VEritas eſt in dubium non revocanda, primum, ac præcipuum devotionis objectum eſſe amorem, ac ſervitutem Dei: quod minime vetat, quominus in Chriſtiana Religione tribuamus cultum religioſum Sanctis, qui cæleſti gloria perfruuntur; ita ut prima, & præcipua iſta devotio per quam cum alacritate, & affectu ferimur ad ea omnia, quæ ſpectant ad divinæ Majeſtatis famulatum, minime excludat devotionem, per quam poſſumus etiam cum merito tribuere Sanctis honorem, & cultum, qui convenit illis, atque debetur. Secundum hoc principium, quod nemo Catholicus in dubium revocat, omnibus perſuaſum eſſe debet, quemadmodum Sanctiſſima Virgo propter eminentem Virtutem, inæſtimabiles gratias, quas in illa collocavit Deus, & potiſſimum propter ſingularem ſuam Deiparæ qualitatem digna eſt veneratione præſtantiori, quam quæ Sanctis aliis debetur; devotio, quæ nos impellere debet ad officia noſtra ipſi tribuenda, juſtior eſt, & excellentior ea, quæ reſpicit cultum, & honorem, Sanctis aliis debitum. Devotio, quæ poſita eſt in illa honoranda, invocanda, & colenda peculiari cum affectu, & alacritate.

Cultus, & devotio erga Mariam ſita ſunt in pretio in quo habẽda eſt ejus perſona, meritum, & Deiparæ dignitas.

Hac doctrina, quæ majori explicatione non indiget, præſuppoſita, ſi magis peculiariter ſcire volumus, in quo conſiſtat devotio, quæ ad hanc Sanctam Creaturam habetur, ecce quomodo ratiocinari poſſe mihi videor. Cum voluntas cæca ſit, opus eſt, ut intellectui perſuaſum ſit per fidem de excellentiis, & magnalibus Sanctæ hujus Virginis, quod illam dignam efficit omni honore, & veneratione, quam mereri poteſt perfectiſſima omnium creaturarum. Hinc vera, & ſincera devotio erga Dei Matrem conſiſtit primum in maxima æſtimatione Sanctitatis, meritorum, & incomparabilis excellentiæ divinæ Maternitatis, unde ſequitur reverentia, & veneratio prorſus ſingularis erga ſacram ejus perſonam, affectus, & celeritas in illa colenda; confidentia ſumma in ejus bonitate, zelus frequentiſſimus pro illius honore, & gloria, & inflammatum deſiderium placendi illi, & ſeſe dignum reddendi amore illius per Virtutum ſuarum imitationem.

Licet hæc peculiaris devotio nõ ſit explicite de præcepto, tenemur tamen Matrem honorare multis de cauſis.

Quamvis peculiaris hæc erga Mariam devotio de præcepto non ſit, & Deus noluerit nos ſubjicere niſi ſimplicibus Religionis officiis, quæ lex jubet a nobis præſtari illi, quæ conſtituta eſt Univerſorum Regina: Nihilo ſecius, ſi conſideraverimus attentius, quid illi ſumus, & illa nobis eſt, quatenus Mater Jeſu Chriſti, quem confitemur Patrem, & Salvatorem noſtrum, & omnia; ſi perſpexerimus innumera beneficia, quæ jugiter recipimus per manus hujus Matris gratiarum, & miſericordiarum; ſi attenderimus qua ſuavitate, qua bonitate audit preces, & vota, quæ nuncupantur illi, & qua caritate opem ferat confugentibus ad ſe; profecto omni rationis uſu carere dicendus eſset ille, qui non cognoſceret, & palam non fateretur devotionis hujus utilitatem, citra notam ingratitudinis, & ſtupiditatis. Tenemur ergo Mariam colere eo affectu, & obſequio, quod aliquomodo par ſit bonitati Maternæ, cujus inceſſanter experimus effectus.

Rationes, quæ nos adigũt ad Mariam colendam.

Accedat his Sanctorum omnium, qui omnibus ſæculis vixerunt, eamque ſpecialiter coluerunt, exemplum; Auctoritas Eccleſiæ, quæ illi tot preces dirigit, & in illius honorem tot templa ædificavit: ſenſus omnium Fidelium, qui illam omni tempore invocarunt, & adhuc quotidie invocant peculiari fiducia; miracula fere infinita, quorum ſingulis, tamquam oraculis declaravit Deus quantopere ſibi acceptus eſſet honor, & reverentia. Omnes hæ conſiderationes, & aliæ plurimæ, quas jam attulimus, & mox afferemus deinceps, ſatis probant devotionem erga Dei Matrem conſtituere unam ex præcipuis partibus Chriſtianæ pietatis, ideoque omnem verum Chriſtianum non poſſe perfungi munere ſuo, niſi ſua præſtet obſequia illi, quam Deus ipſe honoravit.

Cultus, qui Mariæ præſtatur cedit in Dei ipſius gloriã.

Nobis perſuaſum eſse debet de hac religionis noſtræ Veritate, cum Sanctos colimus, & veneramur, in illis coli id ſolum, quod acceperunt a Deo; ideoque, cum adhuc major impenditur Sanctæ Virgini veneratio, quam reliquis Sanctis, in ipſa coli, & honorari, quod Deus in illa collocavit, & quod illa recepit a Deo: itaque tota devotio, & veneratio, quæ peculiariter Mariæ defertur, cedere in gloriam Dei. Adoramus in illo ſupremam excellentiam quam habet ex ſe, & quidquid habetur tamquam noſtræ Religionis objectum, vel noſtræ devotionis, eſt Deus, vel a Deo manat tamquam ex principio; ideoque omnes religioſi honores, quos devotio nobis ſuadet, ut Mariæ tribuamus, tendunt in Deum tamquam ultimum finem.

Ordo Chriſtianæ Religionis in cultu, qui Deo, Mariæ aliiſque Sãctis deferẽdus eſt.

Nihil æquius, rectiuſque inſtitutum eſt, quam Chriſtiani devotio, ubi Eccleſiæ ſpiritu tegitur; non enim dicendum eſt quemadmodum per calumniam objiciunt hæretici, nos Virgini, quam ipſi Deo, eſse devotiores: Illam ſæpius, confidentius invocari, quam Jeſum Chriſtum; verbo, Creaturæ tribui, quod uni Deo tribuendum eſt. Profitemur ergo ſemel pro ſemper cum Eccleſia, nos unum agnoſcere Deum, & unam Dei Matrem, & plures Dei Servos, & nos diverſis his cultus noſtri objectis obſequia unicuique debita præſtare ſecundum ordinem, & gradum elevationis; videlicet Deo uni honores ſupremos: Virgini honorem divino inferiorem, ſed ſuperiorem illi, quem reliquis Sanctis præſtamus; & denique Sanctis omnibus honorem majorem illo, qui Mundi Principibus defertur. Ad quam varietatem indigitandam Theologi noſtri his utuntur terminis, qui non ultra pro barbaris habentur, ex quo adhibiti fuerunt ad explicandum caput hoc noſtræ Religionis. Supremos enim honores, quos Deo reddimus, appellant adorationem *latriæ*; ita ut ſi cuiquam præterquam Deo adhiberentur, idololatria committeretur. Devotionem vel cultum, qui Deiparæ præſtatur, adorationem vocant *hyperduliæ*; & *duliæ* illam, quæ Sanctis aliis adhibetur. Hoc adorationis vocabulum, quod adeo ſacrum, & auguſtum videtur, & quo tantum uti licet cum de Deo ſermo eſt, ſuam habet latitudinem, qua comprehenditur quodvis cultus religioſi genus, quod reddimus ſeu Deo, ſeu Deiparæ, ſeu Sanctis omnibus, & nobis minus mirum videri debet, quia Sancti Patres eodem vulgo utuntur; quandoquidem Scriptura eodem utitur etiam cum omni perſonarum genere, cui debetur honor, & reverentia; quod operæ pretium eſt animadvertere ad evitandam æquivocationem in re tanti momenti.

Quomodo non ita pridem cœptũ eſt cultum, & devotionẽ erga Mariam imminuere ſub colore, quod delebatur cultus debitus J. C.

Inimicus ſalutis, & beatitudinis hominum, qui ſemper devotionem erga Mariam, & Sanctos evertere conatus eſt, ſuſcitans varias hæreticorum ſectas, cum non potuerit votorum ſuorum aſſequi ſummam; non ita pridem adniſus eſt illam imminuere in cordibus plurimorum Fidelium novo artificio, illa avertendo a pluribus Sanctis praxibus ab univerſa Eccleſia approbatis, quæ hanc fovebant devotionem, & ſcandaloſis libellis in jocum traducendo illam, perinde ac eſſet contraria primo Spiritui Chriſtianiſmi, vel afferret aliquam imminutionem honori, qui Deo debetur. Qua in re non eſt admodum arduum detegere ſpiritum erroris, atque mendacii, qui cum hæreticos falſo colore in errorem induxerit, rurſus conatur eodem uti ad verorum Chriſtianorum pietatem fallendam. Verum ad artem hanc eludendam meminiſſe oportet, 1. quam differat cultus Deo debitus, ac Sanctæ illius Matri, de quo jam verba fecimus. 2. Cultum, qui Mariæ defertur, in ipſo Deo terminari. 3. Viam eſſe, & medium, quod tuto ad alteram ducit propter arctam neceſſitudinem, quæ inter Matrem, Filiumque intercedit. Quapropter audeo dicere, Chriſtianum habere non poſſe ſolidam, tutamque devotionem, niſi devotus fuerit Mariæ; & me nihil addere

addere arbitror dicens, Filium amari, & coli non poſſe, quin Mater ametur, & honoretur; quia Mariæ devotio quin partiatur cor, validius illud cum Jeſu conjungit, ac proinde confidentia, quam habemus in illius protectione, nihilum quidem officit illi, quam habere debemus in Filio ſuo; quia Matris auctoritate non utimur, niſi tamquam Mediatricis noſtræ apud Deum, a quo ſperamus omnia; quod auget noſtram fiduciam erga Salvatorem, eamque efficit æquiorem, & certiorem, eo quod Maria tantum habet poteſtatis, quantum bonitatis Deus habet erga illam, & tantum pro nobis bonitatis, quantum erga eamdem nobis eſt confidentiæ.

Tituli quibus innititur devotio Sanctæ Virginis.

Maria vere eſt Dei Mater. Auguſtiſſima hæc qualitas primum eſt principium magnalium ejus, & titulus ſolidiſſimus reverentiæ, & venerationis, qua illam proſequimur: Eſſe enim Dei Matrem ſecundum Sanctorum Patrum locutionem eſt, eſſe Matrem Miſericordiæ, omnium ſæculorum Reparatricem, Captivorum Redemptionem, totius Mundi ſalutem. Verum eſt Dei Filium eſſe unicum Salvatorem noſtrum, & unicum Redemptorem; mortuus eſt enim ſolus pro nobis, & ſolus effudit Sanguinem, pretium redemptionis noſtræ; Sed cum Maria ſit Mater, & Mater Miſericordiæ, Filius ejus, qui Pater eſt Miſericordiarum, voluit illam aliquam habere partem in ſalute noſtra, & ecce qualem. 1. Quia formavit ex puriſſimis guttis Sanguinis ſui Corpus, quod fuit pretium redemptionis noſtræ. 2. Quia peperit, & lactavit lacte uberum ſuorum victimam, quę immolata fuit, ut divinę ſatisfaceret juſtitię. 3. Quia aſſenſum præbuit morti Filii ſui, cum credibile non ſit Deum ſine illius conſenſu, tradidiſſe morti ſacrum Corpus Filii ſui, quod Spiritus Sanctus non effinxerat in ejus ſinu, niſi poſt ejuſdem conſenſum. 4. Quia ſtans juxta Crucem Filii, ut quidam Pater ait, fuit Sacerdos, qui obtulit cum Filio ſuo Sanguinem de illius venis manantem ad delendam terrę iniquitatem. Ita contuliſſe noſtrę redemptioni nonne eſt meruiſſe aliquo modo titulum Reparatricis Mundi? Si Pharao Joſephum dicit Mundi Salvatorem, quia in ſumma annonę caritate ſapienter diſtribuit fruges Regis illius, quarum Electus fuerat ſequeſter, & diſpenſator; nonne potiori jure Maria vocanda Mundi Reparatrix, quia illa nobis dedit panem vitę, & frumentum Electorum?

Vera quædam eſt Mariæ devotio, & quædam falſa. Utriuſque characteres.

Cum poſt Domini noſtri devotionem nulla ſit in Eccleſia ſolidior, & magis neceſſaria, quam Mariæ; non alia quoque eſt magis obnoxia abuſibus, & ſimulationibus. Quapropter neceſſe eſt callere veram, & falſam devotionem, ubi metuendum eſt, ne fallamur. Quædam erga Mariam devotiones falſæ ſunt, quædam nimis ſibi præfidentes, quædam imperfectæ. Falſa nos fallit, ac decipit; ſibi nimium præfidens, nos perdit; & imperfecta non ſalvat. Falſa devotio erga S. Virginem eſt, illam labiis tenus honorare, corde vero illam dedecore afficere, honorare Matrem, & Filium dehoneſtare, & ab illa gratias deprecari, cum illis abutimur, quas nobis procurat. Devotio ſibi præfidens eſt, credere Mariam nos ſalvos eſſe facturam, cum interea nos ſalutem noſtram non operemur. Nunquid illa potentior eſt Deo, qui nos ſine nobis ſalvare non poteſt. Nimia præfidentia eſt abuti fiducia, quæ in illa habetur, ut in peccato perſeveremus, ſperantes illam nobis veniam impetraturam eſſe: hoc eſt velle ipſam arceſſere in partem iniquitatum noſtrarum; quod ſcelus! Imperfecta devotio eſt redigere cultum omnem, qui Mariæ debetur, ad quaſdam frigidas inaneſque preces, vel aliquas exteriores cæremonias. Sed prohibere me minime poſſum quin damnem ignorantiam, vel injuſtitiam eorum, qui devotionem Mariæ, & officia, quæ a fidelibus illi præſtantur, inſimulant, prætexentes abuſum, qui fit a pſeudo devotis: tandem enim in Mundo nihil perfecti eſt, ubi zizania cum bonis frugibus permixta ſunt, & ubi virtus ut plurimum eſt cum vitiis confuſa. Sufficit mihi dicere cum Angelico; quod omnis falſitas veritatem ſupponit, & devotio falſa perſpicuum eſt argumentum veræ.

Quomodo illud intelligendum, Deum nihil negare poſſe Mariæ; & hanc eſſe omnipotentem.

Ne cenſuræ locum tribuamus, vel criticæ quorumdam, qui parum addicti ſunt devotioni erga Deiparam, cum omnibus Theologis confitemur J. C. utpote Deum ſuapte natura eſſe omnipotentem; & Matrem ejus, utpote meram creaturam, non eſſe potentem niſi per gratiam. Sed quemadmodum Rex neceſſario alicui ſuo conferre poteſt quamcumque auctoritatem in regno ſuo, eo uſque ut illi ſubjiciat ſubditos ſuos, quod fecit Pharao cum Joſeph; ſimiliter dicimus, Deum meræ creaturæ conferre poſſe quamdam omnipotentiæ ſpeciem in Cælo, & in terra, non ita tamen, ut agat per ſe, quod fieri non poteſt, ſed ut impetret ab ipſo Deo omnia; & hæc illa omnipotentia eſt, quam Sancti Patres in Sancta Virgine confitentur.

Quomodo illud intelligendum, quod Patres dicunt Mariam minus uti precibus, quam imperiis.

Quin noſmet implicemus quæſtioni, quam Sanctus Aquinas agit de jure, quod Sancta Virgo habebat in Filium Dei, quatenus Filium ſuum; Theologi omnes conſentiunt, illam verum habuiſſe juriſdictionis jus, & proprietatis, donec vivebat in terra, quemadmodum infertur ex verbis Sancti Lucæ: *Et erat ſubditus illis.* (*Lucæ 2.*) Facile eſt cognoſcere, jure Sanctos Patres Virginem in Cælo vocare omnipotentem apud Filium ſuum, & quamdam ſervare ſpeciem auctoritatis ſuper illum. (*Sermone 1. de Nativ. Virg.*) Tandem enim non deſiit illa eſſe Dei Mater, eo quod facta eſt univerſorum Regina, & Filius ſuus non minus obſequitur illi in Cælo, quam obſequeretur in terra; quam ob rem Sanctus Petrus Damiani hanc protulit propoſitionem, quæ nonnullos infirmos ſpiritus offendit, videlicet Virginem in Cælo ad altare noſtræ reconciliationis accedere non ritu ſupplicis ſed imperantis. *Non ſolum rogans, ſed imperans.* Hoc nonne eſt, inquiunt Hæretici, attollere Virginem ſupra Deum, dicere, illam poſſe imperare Deo? Sed ex illis quæro, utrum Scriptura attollat Joſue ſupra Deum, cum ait Solem ſtetiſſe; & Deum obediiſſe voci hominis? *Obediente Deo voci hominis.* (*Joſue 10.*) Quis Catholicus dixit unquam, Virginem eſſe Deo ſuperiorem, eique jus eſſe imperandi Deo? Cum ergo Patres adeo Sancti, & eruditi loquuntur adeo fortiter de Sanctæ Virginis poteſtate, duo volunt innuere; alterum preces Matris adeo humilis, ac ſubmiſſæ tenere locum imperii apud Filium, quæ tantam habet rationem illius; alterum, cum illa vere ſit Mater illius in Cælo æque, ac olim erat in terra, adhuc ſervare naturalis auctoritatis ſpeciem in ejus bona, & perſonam, quod feliciter Pater quidam expreſſit, cum ab eo vocata eſt, *Omnipotentia ſupplex.*

Unde oriatur S. Virginis apud Filium auctoritas.

Conſtat Sanctam Virginem in Cælo plus poſſe, quam Sancti ſimul omnes; quæ communis eſt Theologorum omnium doctrina. S. Antoninus, & Suareſius præclaram hujus rei tribuunt rationem. Perſonæ alicujus auctoritas ex triplici oritur cauſſa; natura, gratia, & meritis. Natura Matrem effecit omnipotentem apud Deum; gratia ſponſam omnipotentem apud Sponſum; merita famulum omnipotentem apud herum de quo optime benemeritus eſt. Sed quænam ex creaturis arctiorem habet nexum cum Deo, quam ejus Filia, Mater, & Sponſa? Quænam illi acceptior eſt quam quæ eſt gratia plena, & quæ gratiæ principium concepit? Quænam majoribus abundat meritis, quam quæ nullum commiſit peccatum, cui nunquam defuit fidelitas gratiæ, quæ omnia exercuit opera Miſericordiæ in Filium ſuum, eumque pro hominum omnium ſalute ſacrificavit? Si omnia poſſibilia ſunt habenti fidem, teſtante ipſo Dei Filio, nonne dicenda eſt omnipotens Virgo, quæ plus habuit Fidei, Spei, & Caritatis, quam habeant omnes Angeli Cæli, & omnes homines terræ? Aliorum Sanctorum oratio, Sanctus Antoninus addit, innititur meræ Dei Miſericordiæ; ſed Virginis oratio juſtitiæ ſimul innititur, idque eo magis, quod Filius naturali, divinoque jure tenetur, ſecundum præclarum illud Regis Salomonis verbum, quod dixit matri ſuæ, cui ſolium ſuo proximum extrui juſſerat: *Pete, Mater, neque enim fas eſt, ut avertam faciem meam a te.* Ex his omnibus Veritatibus Sanctus hic, & doctus Antiſtes argumentatur: Orationem Beatæ Virginis eſſe præclariſſimam, perfectiſſimam, omnipotentem, & ceterarum efficientiſſimam apud Filium ſuum: *Tum quia rationem habet imperii, tum quia impoſſibile eſt eam non exaudiri.*

De amore Mariæ erga homines, & potiſſimum ſibi devotos.

Sanctus Anſelmus ſcite animadvertit, divinam Maternitatem ab humana ſeparari non poſſe; & ex quo Sancta Virgo effecta eſt Dei Mater, evaſiſſe etiam Matrem hominum propter rationes, quę alibi a me allatę ſunt. Quod cum nemo inficiari poſſit ſine genere quodam impietatis, de illius caritate dubitare non licet; nam uti Sanctus Ambroſius ratiocinatur; *Non eſt vehementior ad amandum natura quam gratia.* E contra vero ignis caritatis vividior eſt, purior, & fortior, quam naturæ. Ergo judicium ferte de Sanctæ Virginis affectu erga nos, quoniam caritas ejus eſt in conſummata perfectione. Sed quamvis Sancta Virgo omnes homines diligat, potiſſimum amat juſtos, & ſuo ſervitio devotos. Hęc propoſitio eſt manifeſta, nec indiget probatione. Quod vero nos de hac veritate perſuadere debet, hoc eſt: Voluntas Sanctæ Virginis ſe ſe regit ſecundum voluntatem Dei, & amor ejus, ſecundum amorem ejuſdem erga nos. Fateor a Deo omnes homines amari, ſed potiſſimum bonos, & ſuper hos, dixit David, oculos Dei ſemper intentos eſſe: hos eſse pręcipuam curarum ſuarum, & Providentię ſuę; pro eorum ſalute operatur, & univerſum terrarum orbem conſervat. *Omnia propter Electos.* Hanc regulam ſequitur Sanctę Virginis affectus. Extendit curam, & caritatem ſuam ad omnes, potiſſimum vero ad bonos, ſciens hos eſſe cariores Deo, & hos de ipſius familia cenſeri; ſed pre ceteris bonis ſingulariter eos ſua dilectione proſequitur, qui honorant illam, eique deſerviunt. Hoc ipſa teſtatur ore Sapientis: *Ego diligentes me diligo*; (*Prov. 8.*) quę verba illi applicat Eccleſia, quam ſequitur S. Bonaventura; cui Sapiens Idiota duo alia ſubjicit verba: *Inventa Maria Virgine, invenitur omne bonum, ipſa namque diligit diligentes ſe, immo ſibi ſervientibus ſervit.*

In Contemplationis præfatione.

Maria peccatores etiam amat,

Cum hoc argumentum maximi momenti ſit, & quodammodo fundamentum devotionis erga Sanctiſſimam Virginem, veri-

nis ſecundum Catholicæ Religionis principia, nonne rite Theologorum more argumentantur? Hi ſunt ſenſus, quos haberi jubet Eccleſia de Matre Dei, & a quibus nos recedere non ſinit. Hæ ſunt veritates conſtantes, authenticæ deciſiones, immemorabiles traditiones, univerſales, generatim receptæ, a nobis habendæ tamquam puncta Religionis, quibus fidem negare non licet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Senſus habendi de Maria.

CONcipi nequeunt ſenſus nimis ſublimes de Sancta Virgine. Quantumvis ſublimes fuerint noſtræ cogitationes, ejus Magnalia nunquam exæquabunt; & quidquid adnitatur ſpiritus noſter, ut magnificas concipiat ideas, hæ ſemper erunt infra eam, quæ dicit de ſeipſa; *fecit mihi magna qui potens eſt*. Ita primus ſenſus, quem habere debemus de Maria, eſt confiteri illam eſſe ſuper omnem ſenſum, & nos de illa cogitantes, quidquid ſpiritus noſter magnificentius ſuggerere poteſt, nos nunquam ſatis cogitaturos. Hinc inferre non audeo, licere nobis cogitare quidquid auguſtiſſimum, & glorioſiſſimum valeat excogitari. Ut recte de Domina noſtra cogitemus, non ſecus ac ut recte cogitemus de Deo, regulas quaſdam ſequi oportet, ac nobiſmet perſuadere, quæcunque adſit in corde rectitudo, nihil permittendum eſſe, ubi de Religione ſermo eſt, incertis Mentis humanæ Conſiliis, citra periculum labendi cum bonis intentionibus in pernicioſos errores. Scopulum hunc evitabimus in argumento, de quo agimus, aſſumentes pro regula ſenſuum, quos fovere tenemur de Virgine, ſenſus Eccleſiæ, Patrum, atque Catholicorum Theologorum, qui ſolide, ſapienterque argumentum hoc pertractarunt. *Pater Aurelianenſis de devotione erga Mariam.*

Cur Evangeliſtæ pauca dixerunt de Maria?

Quæritur, cur Evangeliſtæ pauca dixerint de Mariæ laudibus; & reſpondetur, ab illis dicta paucis verbis ſatis multa complecti, quæ ſufficiunt, ut inde Doctores orthodoxam, tutamque inſtituant enarrationem. Quid enim dici nequit de illa, quam Angelus gratia plenam vocavit, cum qua Deum eſſe dixit, quam beatam inter mulieres appellavit; cui Spiritum Sanctum ſuperventurum, eique obumbraturum dixit, & quam Virtute Altiſſimi repletum iri prædixit? Hoc unum Sancti Matthæi verbum, *de qua natus eſt Jeſus*; ſola Deiparæ qualitas; quam illi Sancta Eliſabeth gratulata eſt, unum, inquam, ex duobus his verbis ſuffeciſſet, ut ſolide omnia probarentur Elogia, quæ Patres illi tribuerunt; & ad hanc quoque diem tribuunt illi omnes Theologi vere Catholici. Quidquid de illa auguſtius, glorioſius, atque divinius dici poteſt, nonne hinc credibile evadit? Hoc eſt, ex Divo Anſelmo, dicere, quidquid maximum dici poteſt; illam videlicet Dei Matrem eſſe. Si de Virgine cogitandum eſt id, quod ſuperat omnes cogitationes, eſtne temere de illa cogitare, quidquid cogitari poteſt maximum; & glorioſiſſimum, cum quod cogitatur, nulli opponitur revelatæ Veritati, pro tali ab Eccleſia habitæ; & alioquin ratione, & auctoritate deſtitutum non eſt? Quæ ratio, & quæ oppoſita auctoritas cedere non debet huic argumento quod inſtitui poteſt illi ſimile, quod faciebat jure ſuo Sanctus Paulus de Jeſu Chriſto, ut oſtenderet ipſam ſuper omnes Angelos eſſe: *cui Angelorum dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* (*Ad Hebr.* 10.) Cuinam Deus dixit unquam, tu Mater es mea, tu me genuiſti? Reipſa hanc Sanctus Bernardus concludit, nullam Virgini prærogativam negari poſſe, & nullam gratiarum earum, quæ aliquid conferunt Sanctitati, quas Sancti apud Deum gratioſiſſimi obtinuerunt.

Artes, quibus abutuntur Hæretici ad evertendũ cultũ & devotionem Mariæ.

Opere pretium eſt animadvertere, familiarem eſſe artem Hæreticorum impugnare Religionis noſtræ Veritates, & optime inſtituta officia laceſſere modo ſub majoris perfectionis colore, modo ſub prætextu nonnullorum abuſuum, quos auferre adnituntur. Spiritus erroris, quo ducuntur, hac arte uſus eſt ad deſtruendam devotionem erga Mariam: Dixerunt Deum zelotem eſſe, & ad ipſum unum honorem, & gloriam omnem pertinere, quam cum ullo partiri detrectat; unum eſſe Deum, unumque Mediatorem Deum inter, & homines, nempe Jeſum Chriſtum, & ſub harum Veritatum fuco, quas Eccleſia veneratur, & ſub colore quorumdam abuſuum hominum rudium, quos ipſa quoque damnat Eccleſia, invehuntur contra Sanctorum interceſſionem, & nominatim contra illam Reginæ Sanctorum. Sed Catholici Doctores Spiritu Dei acti longe ab his ſenſibus abhorrent: docent adorationem quam Deo debemus, non ad illum unum pertinere; ipſum a nobis glorificandum eſſe in honoribus, qui Sanctæ Virgini, & Sanctis deferuntur; quos propter Dei amorem veneramur. Nos Deum ipſum unum latriæ cultu honorare; nobis plures Advocatos interceſſionis, ſed ne unum quidem in eodem ſenſu, in quo Jeſus Chriſtus. Per hunc Salvatorem, & in virtutem ſancti Nominis hujus nos ſperare, & recipere omnes gratias, quæ per Mariæ interceſſionem conceduntur. Si qui inveniuntur abuſus in populo rudi, & indocto, hos ab Eccleſia damnari, eoſque illi imputare puram putam eſſe Hæreticorum calumniam. *Auctor recens.*

Patres atq; Theologi damnãt errores, & abuſus, qui in devotionẽ Mariæ inveniuntur, ſed nõ ideo imminuunt cultum & devotionẽ illi habendam.

Doctores Catholici detegunt, & damnant errores rudium quorumdam, & imperitorum hominum, qui decepti circa Sanctæ hujus Virginis cultum aberrant. Sed quam diligentiſſime cavent, ne veram devotionem imminuant. Docent igitur illam perhorreſcere ſupremos honores, qui ad unum pertinent Deum; velle, ut amor, quo illam complectimur, ad Deum Majeſtatis, & gloriæ deferatur; ad ſe confugiendum non eſſe, quaſi Deus nobis ſufficeret; ſed ajunt per illam nobis aditum patere ad Deum; dicunt illam petere, ut ſimus imitatores ſui, ſicut illa imitatrix fuit Jeſu Chriſti, & eas exercere virtutes, quarum nobis illa reliquit exemplum, eſſe illam digne venerari. Dicunt tandem ſub prætextu imitationis virtutum ſuarum, negligendum non eſſe cultum interiorem, exterioremque qui Deo debetur, & praxes devotionis erga Sanctam Virginem, media eſſe ad obtinenda per interceſſionem ipſius valida ſubſidia ad abnegandos noſmet, ad chriſtianam mortificationem adquirendam, ad ferendam Crucem, & ad ſequendum Jeſum Chriſtum, quemadmodum Salvator ipſe nos docet in Evangelio. *Idem.*

Mariam eſſe noſtram advocatam, & Mediatricem apud Deum.

Cum hæc quæſtio ſit fundamentum devotionis erga Mariam, titulum hunc rite probari, opus eſt; fruſtra enim rogamus illam, niſi illa orat pro nobis; & illa nobis precibus ſuis non fert opem, ſi noſtra Advocata non eſt. Sæculi hujus hæretici pati æquo animo nequeunt, Deiparæ tribui glorioſam hanc qualitatem; putant hanc officere dignitati Filii ſui, & jactitant illa S. Pauli verba: *Unum habemus Mediatorem apud Deum Jeſum Chriſtum unum*; ubi tanta eſt eorum audacia, ut addiderint verbum illud *unum*, ad excluſionem Sanctorum, & Reginæ Sanctorum. E contra declarat Eccleſia, Sanctos in Cælo, potiſſimum vero Dei Matrem, nobis precibus ſuis ſuffragari; interceſſionem eorum cedere in honorem Salvatoris, quin gloriæ ejuſdem offundat caliginem; Deum, licet miſericors eſt, oblectari, a nobis apud ipſum adhiberi Sanctorum ſuorum auctoritatem, ut nobis oſtendat quo in pretio habeat illos, ut nos excitet ad eorum exempla imitanda. Poſt Eccleſiæ ſententiam, & Patrum omnium auctoritatem hoc in articulo, non credo neceſſe eſſe aliquid addere; opus ſolum eſt animadvertere Advocati munus triplici in re eniteſcere; 1. ut Judicem ſuum ſibi benevolum reddat; 2. cur callidum, verſutumque ſuperet adverſarium; 3. ut victoriam referat in cauſſa, de qua nulla ſpes eſſet reliqua. Hoc fecit Sancta Virgo advocata noſtra erga peccatores. *Idem.*

De Mediatricis titulo, qui negari nõ poteſt Mariæ.

Injuſti profecto ſunt Hæretici, qui Sanctis in Cælo, & potiſſimum Reginæ Sanctorum renuunt nomen, & officium Mediatorum, quod Sanctus Paulus Moyſi largitur. Quod ſi Sancti vocari poſſunt Mediatores Noſtri apud Deum, quam iniquum eſt in diſputationem arceſſere Mediatricis qualitatem illi, quæ adeo exaltata eſt ſuper omnes Sanctos? Hic eſt ſermo Patrum omnium, & nemo uſquam Theologorum hoc detrectavit Elogium Sanctæ Virgini, neque Eccleſia illos hyperbolicæ locutionis redarguit, cum probarunt hunc titulum, quo illa ipſa utitur in Officio ſuo, & in precibus, quas nuncupat illi. Tamen ad auferendum ſcrupulum infirmarum mentium, vel potius iniquarum, notandum eſt, nomen hoc *Mediatoris* bifariam accipi poſſe, vel de illo, qui agit de ſalute noſtra per viam juſtitiæ, meriti, & redemptionis, vel de illo, qui agit per viam precum, & interceſſionis. Catholici omnes fatentur, unum eſſe Jeſum Chriſtum in ſenſu priori Mediatorem; quippe unus ille ſatisfecit pro peccatis noſtris in rigore juſtitiæ, & ipſe offert merita ſua Patri tamquam ſolutionem pro univerſorum hominum ſalute ſufficientem. Sed Eccleſia fatetur, omnes terræ, Cælique Sanctos eſſe ſenſu altero Mediatores noſtros, ac inter ceteros Matrem Dei. Profecto huic potiſſimum præclarus titulus tribuitur: namque ut aliquis Mediator exiſtat, & Mediatoris munere perfungatur, opus eſt, ut qui petit, meritus fuerit, quod vult impetrare, ut offerat Deo bona opera ſua, & merita pro nobis, & Deus illa recipiat. Hoc in ſenſu Jeſus Chriſtus unicus eſt, & verus Mediator noſter. Sed Sancti non meriti ſunt pro nobis, dum viverent, bona, non obtulerunt Deo opera bona, & merita ſua pro nobis, & Deus in hunc finem non acceptavit illa. Una eſt Sanctiſſima Virgo, particeps gloriæ Filii ſui; illa enim nihil obtinet nobis, quod non merita fuerit dum eſſet in terris per merita de congruo, tamquam cauſſa inſtrumentalis ſalutis noſtræ, qua Salvator noſter Filius ſuus uti dignatus eſt. Ipſa etiam obtulit omnes actiones ſuas, omneſque paſſiones, eaſque conjunxit cum illis Redemptoris noſtri pro mortalium omnium ſalute, quin vel unum exciperet; & Deus acceptavit hanc oblationem, quemadmodum Theologi omnes teſtantur. Hoc ipſum dici poteſt de titulo Redemptricis hominum, & Reparatricis generis humani propter cauſſas eaſdem.

Cõſtans Traditio Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ probat Mariæ devotione.

Devotio erga Sanctam Virginem ita in Eccleſia probata eſt, ut nullus ſit vere Catholicus, qui non agnoverit utilitatem, & qui ſe plurimum illi debere non profiteatur. Eccleſia Latina, & Græca hoc in articulo eam habent conformitatem, quam nullum ſchiſma labefactavit. In Oriente ęque ac in Occidente publice Marię preces funduntur, feſti dies in illius honorem celebrantur, Deo Templa ſub illius nomine ędificantur, in aris imagines exponuntur, in Sacrificiis invocatur. Nihil melius hanc probat veritatem, quam hæc Græcorum cum nobis conformitas, quandoquidem illi adeo proclives ſunt ad ſeceſſionem. Utrique a patribus noſtris hanc doctrinam accepimus conſtanti ſæculorum omnium traditione a Jeſu Chriſto ad nos uſque. Græci hodierna die idem ſentiunt, quod olim ſentiebat Sanctus Athanaſius, Sanctus Chryſoſtomus, & Cyrillus. Sanctus Bernardus ſenſus eoſdem tranſmiſit, quos receperat a Sancto Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque primorum temporum Patribus. Licet non aliam haberemus probationem, niſi traditionem hanc ab Apoſtolis profectam, niſi vim, quam jam illa obtinuerat Epheſini Concilii tempore; poſſetne rationabiliter ambigi? Hic Doctorum conſenſus, populi, Sanctorum Pontificum, Præſulum omnium, quos ſuperbia, partium ſtudium, humanę rationes corrumpere non potuerunt; hic ardor omnium orthodoxorum, non ſolum in tuendo dogmate particulari, de quo agebatur, ſed in celebrandis eo magis Magnalibus Sanctę Virginis, quo magis Spiritus erroris illa impugnare conabatur, in concinnandis frequentioribus elogiis, in novis Templis ędificandis in ipſa etiam civitate Imperii principe; hic zelus, inquam, ardens adeo, & univerſalis poteratne alii incumbere fundamento, quam probatiſſimę traditioni? & nobis dubitare liceret, niſi rivos illius cognoſceremus? *Pater Aurelianenſis.*

Si judicio, & prudentia opus eſt ad colendã, uti opus eſt, Dei Matrẽ major requiritur ad eos redarguendos qui eam venerantur.

Ut ſancte colamus Dei Matrem, prudenter colenda eſt. Hoc principium eſt, quod negari non poteſt, & de quo proculdubio nemo eſt, qui mecum non conveniat. Verum ſimul mecum conveniat oportet de alia veritate, quę ęque mihi certa videtur; videlicet, ſi opus eſt judicio, & prudentia ad Dei Matrem colendam, non minori opus eſſe ad eos cenſoria nota perſtringendos, qui colunt illam, & ad ferendum judicium de cultu, & honoribus, qui illi deferuntur. Dicam apertius: In Mundo inter eos qui devoti ſunt Beatę Virgini, adeſſe poſſunt quidam parum diſcreti, non inficior, & ſi qui ſunt, abſit, me illos vel probare velle, vel excuſare. Sed eſſe poſſunt etiam indiſcreti cenſores devotionis erga Mariam, qua de re non ſatis cogitatur. Ex duobus his malis primum quidem evitare gloriamur, & contingit in ſingulos ferme dies, ut alterum nobis laudi, meritoque tribuamus. Verumtamen poſterius non eſt priore minus periculoſum; & homo Chriſtianus coram Deo non minus periclitatur temere condemnans cultum legitimum, & ſanctum, quam ignoranter ſequens cultum immodicum, ac ſuperſtitioſum. Debemus ergo & ego, & vos ſequi regulas tutas ad utrumque hunc ſcopulum evitandum, & diſcrete honorandam Cæli Reginam, ac proponendas eaſdem leges, ne nimis leviter cenſoria nota perſtringamus vulgi ipſius honores, quos recipit ſuper terram. Nihil vagum dicamus, & has veritates explanaturi, non de phantaſmatis agamus, ſed ſingula diligenter enucleemus.

Generalis ſententia eſt, omni tempore, & in omnibus populis poſt Chriſtianiſmi inſtitutionem viguiſſe morẽ honorandi Sãctam Virginem.

Quidam ſunt ſenſus ita univerſales, & qui ita nati videntur cum hominibus, ut dubitare non liceat quominus ab ipſa natura proficiſcantur. Sæpe etiam rationem prævertunt; habentur etiam antequam cognoſcantur, niſi quod ſequimur illos, & generatim videntur in illis omnibus, in quibus cupiditas aliqua eos non extinxit. Talis eſt exempli gratia inſtinctus eos colendi, a quibus vitam accepimus, amandi patriam, remunerandi beneficia. Omnes hos habent ſenſus, & vulgo dicimus, homines non eſſe, qui illos non habent: adeo perſuaſum nobis eſt illos a natura, & ipſo humanitatis fundo proficiſci. Simile neſcio quid in Religione invenitur: ſunt, inquam, in Religione quidam ſenſus pietatis, in Chriſtianis omnibus ita univerſales, quos minime jugulant per quamcumque incompoſitam animi ſui perturbationem, qui nonniſi ab aliqua oriri poſſunt inſpiratione, & ab operatione hujus gratiæ, quæ Chriſtianum facit, quæ illum animat, quæ illi motum tribuit, & quæ in hoc ordine ſuperiori, ad quem Deus elevat illam per adoptionem, eſt illi tamquam altera natura. Senſus venerationis, quem ab omni tempore in Eccleſia fideles foverunt erga Deiparam, ex numero illorum eſt, de quibus loquor, & quamvis minus illuxerit tribus primis ſæculis propter eas rationes, quas attulimus; fuit tamen omnium ſæculorum; & cum vel erroris præventio, vel novitatis amor in Chriſtianis ſuffocaverit, ita generalis fuit, ut quidquid Sanctorum Doctorum ſtudium detexerit magnalium in Virgine, alacriter a populis receptum fuerit, & cum zelo a Theologis probatum.

Homines parũ addicti cultui Marię contendunt in hoc non deeſſe abuſus quoſdam immodicos.

Aſſeruerunt nonnulli, quamvis Paſtores adniſi fuerint erudire populos, & hoc noſtro ſæculo emundare Religionem, vel devotionem Fidelium, adhuc exceſſum inveniri, ideoque abuſum in cultu, qui Beatæ Virgini præſtatur, (& quod vos oro, ut diligentiſſime attendatis) non ſolum infeſtiſſimi Eccleſiæ inimici hoc venditant, ſed etiam quidam ejuſdem filii hunc abuſum commiſerantur. Catholici, qui ſeſe zelo ſuccenſos jactitant, ſed quorum zelus proculdubio caret iis qualitatibus, quæ requiruntur, ut ſit zelus ſecundum ſcientiam, quem exigebat Apoſtolus. Ut ut ſit, non defuerunt Catholici ipſi, qui crediderunt, ſibi tuendam eſſe Dei cauſſam; & ex eo pacto, quo ſeſe explicuerunt, en tria in quibus viſa eſt veneratio Fidelium vulgo erga Dei Matrem ad *indiſcretionem*, hoc enim vocabulo utuntur, pervenire; & intereſt noſtra rite aſſequi, ad quid hoc vocabulum applicuerint. Dei gloria ducti conqueſti ſunt, Sanctæ Virgini tamquam divinitati alicui honores præſtari. Conqueſti ſunt eidem deferri titulos honoris, qui ad illam non pertinerent, cujuſmodi ſunt illi Mediatricis, & perditi Mundi Reparatricis. Conqueſti ſunt nova privilegia eidem tribui, quæ neque in Scripturis, neque in traditione fuerant revelata. Ad examen querelas hujuſmodi ſine præjudicio revocemus; quandoquidem illas evulgarunt in orbe Chriſtiano in formam monitorum traditorum ab ipſa Maria ad indiſcretos devotos ſuos, quandoquidem optamus bona fide, devotionem noſtram prudentem eſſe, ſolidam, & irreprehenſibilem. Quantumvis parum fundata ſint hæc monita, inde proficiamus, noſmet ædificemus; ſaltem utamur examine, quod facturi ſumus, ut fiamus diligentiores, & magis irreprehenſibiles in cultu Sanctæ Virginis, quam honoramus. Hoc in argumento nihil eſſe poterit vel nimis abſtractum, vel moleſtum. *Idem.*

Ipſe J. C. amari non poteſt, ut decet, quin Virgo diligatur, & viciſſim.

Jeſus, & Maria arcte adeo conjuncti ſunt, ut nequeant ſeparari. Filius amari, & coli non poteſt, quin ſimul Mater ametur, & colatur: omne meritum, & gloria Matris fluit a Filio, & totus honor, qui Matri tribuitur, redit ad Filium. Devotio erga Mariam non dividit Cor; e contra vero illud arctius adnectit cum Jeſu. Fiducia, quam habemus in Sanctæ Virginis protectione, non minuit confidentiam habendam in Filio; immo auget e contra, eamque æquiorem facit, atque certiorem. Maria tantum habet poteſtatis, quantum bonitatis habet Jeſus erga illam; & illa tantum erga me bonitatis, quantum ego in illa confidentiæ. Quouſque igitur proferre poſſum motus confidentiæ meæ? Cum adeo ſit bona, & generoſa, poteſtne non amare ſervientem ſibi, & diligentem ſe? Jeſus qui infinite Mariam amat, odiſſene poteſt hominem, qui amatur ab illa? Poteſtne perdere hominem, quem illa ſalvum facere deſiderat? Quid, ille æquo ne ferret animo cor incenſum amore Mariæ infernis ignibus uri? Id cogitari poteſt, quin cogitetur de bonitate Jeſu erga Mariam, & de bonitate Mariæ erga ſervos ſuos? *Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus. Tomo* 1.

Nõ deficere debet in nobis confidẽtia in Maria, cum nobis perſuaſũ ſit de illius auctoritate apud Deum, & bonitate erga homines.

Quantumvis nocens ego ſim, nunquam tamen de Miſericordia Dei deſperabo, dum pro me ſteterit Mater Miſericordiæ. Objiciam Matris Miſericordiam Juſtitiæ Filii. Nunquid hæc illi reſiſtere poterit? Nunquid Mariæ precibus plus virium inerit ad Dei iram mulcendam, quam criminibus meis ad illam irritandam? Putabo in tuto eſſe ſalutem meam, cum erit in manibus Mariæ? Si hæc illi cordi non eſſet, id ſane oriretur vel ex defectu poteſtatis erga Filium ſuum, vel ex defectu bonitatis ejuſdem erga me. Poteſtne ambigi de alterutro, quin Filio, & Matri inferatur injuria? Deeſſene poteſt Matri apud Filium potentia, illi, cui Filius quodammodo potentiam ſuam communicavit, ut Sanctus inquit Bonaventura, ita ut poſſit omnia cum Filio ſuo, & omnia poſſit apud Filium ſuum? Ille qui omnibus præcepit hominibus, ut parentes ſuos obſervarent, & colerent, ipſe hanc legem infringeret? An illam obſervaret, ſi Matris ſuæ interceſſionem repelleret? Ille qui rationem habet calicis aquæ frigidæ, ingratus eſſe poterit erga Matrem, cui debet quidquid eſt, quatenus homo, & nonne videretur ingratus, ſi negaret illi gratias, quas illa pro ſervis ſuis deprecatur? Mariæ poteſtas dimetienda eſt ex dignitate Matris Dei, quam poſſidet, ex bonitate Filii erga illam, ex magnitudine earum rerum quas illi debet, & ex qualitate Mediatricis hominum, qua illam dignatur; quæ ſi vera ſunt, quouſque non procedit Mariæ poteſtas, & quouſque procedere non debet noſtra confidentia? *Idem.*

Maria cum ſit Mater noſtra, illi bonitas erga nos deeſſe non poteſt.

Sed ſi non deeſt Mariæ poteſtas, nunquid bona illi deerit voluntas? Ipſa eſt Mater noſtra; & facta Mater Dei effecta eſt hominum Mater. Filius ſuus tradens illam Joanni in Matrem nonne tradidit etiam illam Fidelibus omnibus in Matrem? Ex eo tempore facti fuimus Filii ejus adoptionis. Mater, ſed quid dico? Mater omnium Matrum optima, deficere poteſt bonitate erga Filios? Nos ſumus, verum eſt, miſeri, ſed miſeriæ noſtræ illius augent miſerationem, amorem, benevolentiam; quia illa Mater eſt miſericordiæ, & refugium peccatorum. Aliquemne uſquam repulit? Si quis invenitur, Sanctus Bernardus addit, non abnuo, ab hoc non honorari, non invocari. Sed invenieturne?

Et quinam ſint peccatores, quos amat.

veritas ab errore nobis ſecernenda eſt, & videndum, utrum Maria perhorreſcat peccatores, & utrum preces eorum exaudiat. Antequam aliquid ſtatuatur, quatuor diſtinguenda ſunt genera peccatorum. Sunt qui peccant, & qui pœnitere nolunt. Sunt, qui peccant, & volunt converti; ſunt qui converti vellent, ſed nexus ſuos frangere differunt, & procraſtinantur ſperantes fore, ut Virgo illis bonam mortem obtineat: ſunt tandem qui ſentiunt infirmitates ſuas, & qui nondum certum cœperunt conſilium ſe ſe convertendi, ſed ad Sanctam Virginem confugiunt, ut illius ope pœnitentiæ gratiam obtineant. Non loquor autem de peccatoribus, qui occaluerunt, qui pœnitentiam agere detrectant, neque de peccatoribus ſibi præfidentibus qui Mariæ devotione abutuntur, ut impunius in peccatis perſiſtant. De illis potiſſimum loquor, qui converſi ſunt, vel qui cupiunt converti, qui peccant ex infirmitate, & non ex nequitia, aut ex præſumptione. Hoc poſito, en tres veritates, de quibus non videtur mihi dubitandum. 1. Quamvis Sancta Virgo peccatum oderit, ipſam tamen diligere peccatores, eoſque ſumma complecti benevolentia. Hæc eſt Eccleſiæ ſententia, quæ, ut dixi, illam refugium peccatorum appellat, eoſque proponit tamquam objectum pietatis ſuæ, & miſericordiæ. Ita vulgo Patres omnes ſentiunt. Sanctus Anſelmus dicere non dubitavit, nos nonnunquam citius exaudiri a Deo, cum Mariæ Nomen invocamus, quam cum ad Jeſu Nomen confugimus: non eo quod Matris poteſtas Filii poteſtatem exæquet, ſed quia Filius debet aliquid juſtitiæ ſuæ; & facilius Matrem honorat plures gratias concedens illis, qui ad illam, quam illis qui ad ſeipſum confugiunt; quemadmodum Diſcipuli ejus majora fecerunt miracula, quam ipſe fuerit operatus, juxta id, quod ipſis pollicitus fuerat. Aliquis ne ita rationis expers eſſet, ut argueret inde Diſcipulos fuiſſe Magiſtro ſuo potentiores? 2. Maria non horret Laudes, preces, & pravorum hominum famulatum. Veritatis hujus probatio pendet ab illa, de qua agitur in Theologia, ubi docetur, Deum non perhorreſcere preces, & opera bona iniquorum. Deus enim non execratur niſi malum; & hæreſis eſt aſſerere bonas actiones, quæ fiunt ſine caritate, eſſe peccata; quemadmodum in Tridentina Synodo his verbis ſtatutum eſt; *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vera eſſe peccata, vel odium Dei mereri &c. anathemata ſit.* (*Seſſ.* 6. *Can.* 7.) Et ſane licet Deus (quod ipſum dicere poſſumus de Maria) deteſtetur peccatorem caritatem non habentem, non ideo tamen deteſtatur omnes actiones, quas facit peccator ſine caritate; ſimiliter quamvis deteſtetur infidelem, qui fidem non habet, non tamen deteſtatur omnes actiones, quas hic facit ſine fide; alioquin omnes infidelium actiones eſſent peccata, quæ alia eſt propoſitio ab Eccleſia damnata, non ſecus ac iſta: *Obedientia, quæ præſtatur legi Dei, vera non eſt, ubi fiat ſine caritate.* 3. Maria peccatores exaudit humiliter, & conſtanter orantes illam; tantum abeſt, ut preces eorum perhorreſcat. Propoſitionem hanc docent, ac propugnant Theologi, Sancti Patres, & Concilia, quæ ſuadent, & imperant peccatoribus, ut Deum orent, quia oratio medium eſt neceſſarium, vel ſaltem perutile ad gratiam obtinendam.

Quomodo liceat invocare Mariam; immo quam profit hoc facere.

Hæretici docent hoc neque licere, neque prodeſſe, neque eſſe neceſſarium. Non licet, inquiunt, quia hoc eſt Deum afficere contumelia, qui unicum eſſe debet objectum votorum noſtrorum & precum. Inutile eſt, adeunt; Sancti enim non audiunt nos, & Deus unus ſufficit nobis. Denique neceſſarium non eſt, quia nullum in Scripturis præceptum eſt, quod jubeat nos confugere ad Sanctos, & Beatam Virginem, eoſque invocare. Non eſt hic locus tractandi punctum controverſiæ: tamen quia hoc argumentum tanti momenti eſt, & nonnullas involvit difficultates, & eorum cognitio pertinet ad noſtri argumenti fundamentum; tribus hiſce objectionibus reſpondeo tribus Veritatibus, quas nobis credendas proponit Eccleſia: 1. Licere orare, & invocare Sanctos, atque præ ceteris Deiparam. Hæc veritas eſt de Fide, in pluribus Conciliis conſtituta, quæ damnarunt hæreticum Vigilantium, Catharos, Valdenſes, ac recens Lutherum, atque Calvinum. Non aliis probationibus opus eſt, niſi exemplis, quæ utrumque Teſtamentum nobis ſuppeditat: videmus enim Angelos orare pro populo Dei; Jeremiam poſt obitum orare pro Civitate Jeruſalem; Sanctum Petrum polliceri diſcipulis ſuis, ſe poſt mortem non obliturum eorum. (*Zach.* 1. *Daniel.* 1. 2. *Petri* 1.) Si igitur mortui pro viventibus deprecantur, & pro hominibus Angeli, quis dubitare poteſt utrum illos invocare liceat, potiſſimum vero Sanctiſſimam Dei Matrem, quæ ſalutis noſtræ negotium procurat, & cujus interceſſio pro nobis eſt potentiſſima. Quoad præceptum orandi, & invocandi Mariam, vel alium quempiam Sanctum, non videmus quidem adeo explicite in Scripturis memoratum; ſed nobis aliunde præcipit Deus, ut Eccleſiæ ſuæ obediamus, niſi haberi velimus tamquam infideles. Sed cum Eccleſia inſtituerit ſollemnitates, monumenta poſuerit, atque præcepit publicas preces, quæ Sanctis diriguntur, omnes tenemur in earum partem accedere. Ipſa tamen neminem cogit ad invocandum Dominam noſtram, neque ad preces Sancto alicui ſingillatim offerendas. Quapropter integrum relinquit hoc facere, vel ſecus, dummodo hoc fiat ſine cenſura, aut reprehenſione eorum, qui hanc habent devotionem. Sed præterea credere jubet, non ſolum hoc licere, ſed maxime utile, & proficuum eſſe hoc facere. Hoc diſcimus ex deciſione Baſileenſis Concilii ab Eccleſia recepti, & miſſum facio decretum Tridentini Concilii de Sanctorum Invocatione, quod illam quoque Sanctiſſimæ Virginis complectitur.

Elogia a Sanctis Patribus Mariæ collata ab Eccleſia omnibuſq; Theologis Catholicis probata ſūt.

Locutiones, quibus Sanctus Auguſtinus, aliique nonnulli Patres uſi ſunt, & quas eadem adoptavit Eccleſia, vocans Mariam unicam ſpem peccatorum, aſylum, & refugium noſtrum, hæ inquam locutiones duriuſculæ videntur hæreticis, & Filio Dei contumelioſæ, ita enim eas appellant; ſed cæci ſunt Dei Filium, & Matrem ignorantes. Quapropter iterum dico, Jeſum Chriſtum unicum eſſe Mediatorem noſtrum confitemur, & unicam ſpem noſtram apud Patrem ſuum per viam meriti, ac redemptionis; quia unus ille redemit nos in Sanguine ſuo, & peccatorum noſtrorum veniam promeruit. Sed hoc minime vetat quo minus Sancta virgo ſit inter Sanctos omnes unica ſpes noſtra apud Filium ſuum per viam interceſſionis, quod nihil derogat poteſtati Filii, vel merito illius.

Qui adverſantur laudibus Mariæ, adverſantur ſententiæ Eccleſiæ.

Operæ pretium eſt animadvertere, Eccleſiam Catholicam per os Prædicatorum, per Doctorum ſuorum calamum, per hymnos, & Cantica, quæ cecinit in Officiis ſuis in gloriam ejus, illam omnibus ſæculis tribuiſſe Virgini Sanctiſſimæ magnifica elogia, quæ videbantur ſpeciem aliquam æqualitatis conſtituere inter Matrem, & Filium, & quæ aliquo modo attribuebant illi, quæ proprie, unice pertineant ad Deum. Ita illam vocavit ſemper Matrem miſericordiæ, Matrem gratiæ. Reginam Cæli, vitam noſtram, ſpem, conſolationem. Hinc ſequitur, ut qui ita eſſet audax atque temerarius, ut has laudes improbaret, læderet Eccleſiæ traditionem, quæ ſemper hoc ſenſit, & ita locuta eſt de Sancta Virgine. Ita ſane, hoc eſſet quodammodo Eccleſiæ traditionem offendere, in hæreticorum caſtra migrare, & credere Mariam ab Eccleſia laudibus immodicis decorari. Veri Eccleſiæ filii, poſtquam dixerunt quæcumque potuerunt in Virginis laudem, cum S. Auguſtino ſubjiciunt: *Quibus te laudibus efferam, neſcio.*

Nonnullorum moroſitas in hoc argumento de Mariæ devotione.

Videmus hoc tempore inſanam quamdam in hominum ingeniis moroſitatem ubi agitur de devotione erga Mariam. Non negant illam eſſe Dei Matrem; ſed iniquo ferunt animo ipſam hominum Matrem vocari: Sunt, qui illam juſtitiæ Matrem appellant; ſed perhorreſcunt eamdem, ut facit Eccleſia, Matrem ſanctæ Spei, & pulcræ dilectionis vocari. Titulus Advocatæ, ac Mediatricis, qui illi ab Eccleſia defertur, illis non arridet; illis vero Crucem figit auctoritas, quæ eidem tribuitur in Cælo. Pati nequeunt illam dici omnipotentem apud Filium ſuum; ipſam impetrare quidquid vult; ipſam ſalvare eos, a quibus honoratur, & impoſſibile eſſe, ſervos ſuos reprobari. Videndum eſt utrum eorum querela ſit juſta, & utrum hæc propoſitio ſit ſententiæ Eccleſiæ contraria. Hæc propoſitio illis videtur ſuſtineri non poſſe, immo etiam Fidei principiis oppoſita: *Impoſſibile eſt Mariæ ſervum damnari*, vel *neceſſe eſt ipſum ſalvari.* (*ad Hebr.* 17.) Nam ſecundum Eccleſiæ doctrinam, inquiunt illi, aſſeri nequit, hominem neceſſario ſalvum fore; quia libere ſalvatur, & neceſſitas evertit libertatem. Tamen plures Theologi aſſerunt tuto aſſeri poſſe: *Impoſſibile eſſe eum, qui fideliter ſervit Mariæ, reprobari*; & ratio, quam adferunt, eſt, propoſitionem a Patribus prolatam fuiſſe, quin illis adverſaretur Eccleſia. Sancti Anſelmus, & Antoninus conceptis verbis docent: *Impoſſibile eſſe, ut pereat* Mariæ ſervus. Sanctus Bernardus aſſerit neminem perire ex iis, qui Mariæ protectione lætantur: & *impoſſibile Deiparam non exaudiri.* Sanctus Petrus Damiani majori vi loquitur; illam Omnipotentem in Cælo, & in terra vocat. Sanctus Auguſtinus eam appellat *unicam peccatorum ſpem.* Sanctus Joannes Damaſcenus fidenter ait: O Mater Dei! Si in te confidam, ſalvus ero; ſi ero ſub protectione tua, nihil mihi metuendum. Ceterum hæc loquendi ratio, quæ adeo frequens, & familiaris eſt in Scripturis, aliquid videlicet eſſe impoſſibile, nihil officit noſtræ libertati. Impoſſibile eſt, dicit Dominus, ut non eveniant ſcandala: *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti . . . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*; Et Sanctus Joannes: *& non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt*: cum omnes iſtæ impoſſibilitates non ſint abſolutæ, ſed morales, minime officiunt noſtræ libertati. Impoſſibile dicimus, quod rarum eſt, & difficile. Hoc igitur in ſenſu dicimus cum Patribus, impoſſibile eſſe Sanctæ Virginis Servum perire, quoniam illa efficaces obtinet gratias, ut ſalvetur.

Cur

Elogia, quæ Sancti Mariæ detulerunt, conſtituunt fiduciam, quam in ipſius patrocinio collocamus.

Cur tot præcautionibus utimur in elogiis, quæ tribuimus Mariæ, quandoquidem nunquam procedemus eo, quo pervenerunt Patres, qui ut ineffabilibus Magnalibus ejus, laudum ſuarum tributum perſolverent, nobiſque inſpirarent profundam venerationem erga illam quam Deus ipſe infinite honoravit, tribuerunt illi encomia, quæ viderentur immodica, niſi nobis perſuaſum eſſet hinc quidem illos uni Jeſu Chriſto tribuere adorationes ſuas, & Mariæ cultum legitimum; inde vero illis non defuiſſe lumina, & prudentiam, ut non niſi juſtas tribuerent veris meritis laudes. Audiamus Sanctum Auguſtinum dicentem: ſicut Deus maris nomen tribuit acervo aquarum omnium, ita Mariæ Nomen tribuiſſe illi, quæ centrum eſt omnium gratiarum: *Congregationem aquarum vocavit maria, congregationem gratiarum vocavit Mariam.* Audiamus Sanctum Bernardum non metuentem excedere, affirmando Mariam evaſiſſe plenam caritate, non ſecus ac Jeſum Chriſtum ex quo illum ſinu ſuo geſtaverat: & Sanctus Anſelmus credidit cenſoria regula ſe notari non poſſe cum dixit acceſſum ad thronum Mariæ nonnunquam faciliorem eſſe acceſſu ad thronum Filii Dei; & ſæpe nos a Deo repelli, ut ad illum per Mariæ Miniſterium, & Matris opem accedamus. *Velocior eſt nonnunquam ſalus invocato Nomine Mariæ, quam invocato Nomine Jeſu.* (*Anſelm. lib. de excell. Virgin. cap.* 6.) Tantum Dominus poteſtatem ſuam Matri Sanctiſſimæ communicavit; tantum cupit illam a Fidelibus reſpici tamquam refugium ſuum; tantum probat devotiones in illius honorem inſtitutas; quandoquidem tantam nobis inſpirat fiduciam, nos per illius auctoritatem aſſecuturos id, quod ipſe ille nobis per ſe concedere negat.

Quo in ſenſu dicere poſſimus Mariā eſſe omnipotentem.

Fieri profecto nequit ulla comparatio poteſtatis Mariæ cum poteſtate Jeſu Chriſti; infinite quippe diſtat Creator a creatura; quæ quantumlibet perfecta ſit, nullam unquam habere poteſt proportionem: Verum cum dicimus Mariam eſſe omnipotentem, intelligendum eſt, talem eſſe dependenter a Deo; meminiſſe debemus hac locutione comprehendi, illam eſſe, ex omnibus Sanctis, quæ faciliorem habet acceſſum ad Jeſu Chriſti Tribunal; poteſtatem ejus ſapientia ſua eſſe circumſcriptam; & quemadmodum Filius Dei dicebat de ſe ipſo, ſe Judicem eſſe inſtitutum a Patre; Patrem ſuum neminem amplius judicare; nolebat innuere, Patrem æternum ſe ſe abdicaſſe jure judicandi, ut illud in Filium traduceret; ſed ſolum ad humiliationes ejus remunerandas, & ut illius magis eniteſceret gloria, & magnitudo, ſe illi judicandi poteſtatem contuliſſe: Hic ſimiliter; Jeſus Chriſtus omnem contulit Matri poteſtatem, non quod illam abdicaverit, ſed per communicatam Matri poteſtatem vult meritum ejus attollere, ac efficere, ut ab omnibus benedicatur nationibus, earum protectrix, & refugium conſtituta. Jeſus Chriſtus conſulens hominum utilitati, non ne maternæ etiam gloriæ proſpexit? Illam quodammodo humiliaverat dicens, *nondum venit hora mea. Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Cum illo partita fuerat dolores ignominiarum, & paſſionum ipſius; glorioſum igitur erat Filio evehere Sanctam Matrem ſuam ad honoris cumulum, eamque induere ea poteſtate, cui nulla par fuit. Erat Juſtitiæ ſuæ, eam facere protectricem Eccleſiæ totius, quoniam cum ipſo in Calvario Eccleſiam pepererat.

Quo magis Dei Filius dilexit Matrē, eo magis dilexit eos, qui eidē erant devoti.

Si Deus temporalibus cumulavit beneficiis populum integrum in gratiam nonnullorum amicorum, puta, David, in cujus gratiam dilexit omnem illius poſteritatem; Abraham, Iſaac, atque tot aliorum, perinde ac favores, quos in eorum proprias perſonas conferebat, nequaquam pleni, integrique fuiſſent, niſi extenderentur late ad eos omnes, qui pertinebant ad illos; vel quaſi amor ſuus non ſatis magnus extitiſſet, niſi cum illis univerſam eorum familiam fuiſſet complexus; quid igitur cogitandum eſt de Maria, quam magis dilexit, quam ceteros ſimul; niſi quod quo magis amor, quo ipſe illam proſecutus eſt, ſingularis extitit, eo magis ſingulariter dilexiſſet eos, qui ſe ſe ejus ſervitio devoverant. Eorum bona ita feliciter confuſa ſunt, ut invicem ſeparari non poſſint; & videtur hoc in ſenſu Eccleſia illi applicare Scripturæ verba: *In plenitudine Sanctorum detentio mea*, (*Eccleſ.* 24.) videlicet ſe Reginæ inſtar incedere quocumque in ſtatu eam conſideremus, & nunquam ſeparandam eſſe a comitatu ſuo, vel ab ſectatorum turba in ipſis etiam ideis Dei, ubi ſemper detenta fuit cum hac Sanctorum plenitudine, quos retinet, & a quibus retinetur in ipſo ordine providentiæ, nunquam ab eo ſeparanda. Ita ſcire ne vultis, utrum Deus oculos in vos conjecerit propitio illo obtutu, qui prædeſtinatos facit, & utrum cor ſuum vobis protulerit? Scrutamini cor Dei, veſtrum ipſum ſcrutantes. Eſtis ne ex numero ſervorum Sanctæ Virginis? Experimini teneram hanc in cultu ipſius devotionem? ejus gloria vos movet? eamque ubi opus eſt, tuemini? Verbo, contenditis ne in occaſionibus illi eſſe fideles? Si hoc eſt, quæ apertior haberi poteſt nota peculiaris hujus amoris Dei, quam ſervire illi, quam perfecte non amaret, niſi amaret illos, qui perſonæ ejus adhærent, eique devoti ſuat?

Illatio neceſſaria eſt illos a Maria diligi qui diliguntur a Deo.

Si Maria gratificari tenetur aliquo benevolentiæ teſtimonio illis, qui ſe ad eam pertinere, eamque amare profitentur, ſecundum verba, quæ illi ab Eccleſia applicantur: *Ego diligentes me diligo*; (*Prov.* 8.) audacter inferre poſſumus, illos ſingulariter amari, & Deo caros eſſe: quandoquidem hæc duo ſeparari non poſſunt; vel ſaltem modo adeo arcto conjuncta ſunt, ut alterum ex altero conſequatur. Ita ſicuti hæc Sanctæ Virginis dilectio quædam eſt ſpecies prædeſtinationis ex parte illius, eſt etiam ex parte Dei. Sed ſimul quæ conſolatio eſt in incertitudine, in qua ſunt omnes homines, utrum futuri ſint æternum digni amore, an odio Dei; habere adeo maniſeſtum ſuæ dilectionis indicium? Quid aptius ad excitandam ſpem in hoc juſto timore, qui tot excivit tumultus in ſanctiſſimis Viris, utrum eſſent in vitæ libro deſcripti? ſcire ſe illos eſſe, qui juſtiſſima ad beatam vitam poſſident jura? Judicia Dei terribilia ſunt, fateor; juſtus eſt timor, quem unuſquiſque debet habere; ſola cogitatio poteſt incutere ſummos terrores animæ, quæ concipit, quid ſit eſſe in æternum felices, vel miſeros. Sed quæ ratio validior ad nos confirmandos in hoc timore, & reddendam cordi noſtro tranquillitatem, & confidentiam, quam teſtimonium cordis noſtri ſingularis illius adhæſionis ſervitio Sanctiſſimæ Virginis, quæ Mater eſt prædeſtinatorum? Nos per profeſſionem illi devotos eſſe, eique in operibus noſtris fideles? Licet hæc una eſſet nobis cogitatio, & conſolatio, nonne ſola nos cogere poſſet, ut in ſervorum ſuorum numero recenſeremur?

Cur Maria dicatur Mater Miſericordiæ.

Eccleſia Dei Matrem Miſericordiæ, Reginam vocat: *Mater Miſericordiæ*; ideoque miſeros amare debet, qui ſibi ſunt ſubditi. S. Thomas in præfatione quam edidit in Epiſtolas Canonicas, refert hiſtoriam Eſther, & ſcite illam applicat Sanctæ Virgini. Dicit autem, ſicuti Aſſuerus proditoris Amani conſilio mortis ſententiam protulerat contra populum Judæorum, & hæc ſententia ad preces Eſther, quæ prodiit coram Rege, ad hanc illi gratiam petendam, fuerat antiquata; ita Deus damnaverat omnes homines æterna morte propter peccatum primorum Patrum, qui Dæmonis ſuaſu ex vetito fructu comederant: Sed Deum quoque hanc abrogaſſe ſententiam, ſimulac Virgo apparuit in Mundo: invenit quippe gratiam in oculis ejus, & ſicut Aſſuerus obtulit Eſther dimidium Regni ſui, Virgo impetravit a Deo imperii ejuſdem dominium, facta Regina Miſericordiæ, quemadmodum Filius ſuus eſt Rex juſtitiæ, *Dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipſa ſit Regina Miſericordiæ, cujus Filius eſt rex juſtitiæ*; dicit ſapiens quidam Interpres. Neque ideo dixeris, Jeſum Chriſtum non eſſe & ipſum Regem Miſericordiæ; ſed cum dicitur Virgo eſſe Regina Miſericordiæ, intelligitur, a Filio ſuo conſtitutam fuiſſe Reginam miſerorum, & peccatorum Mediatricem; illam videlicet pro illis miſericordiam petere, nunquam vero juſtitiam.

Cujus naturæ ſit Mariæ poteſtas in Filium.

Jure admiramur poteſtatem Moyſis apud Deum, cum Deus bonitatis plenus quamdam petebat facultatis ſpeciem, ut in rebellem populum animadverteret, atque rogabat illum, ne ſibi adverſaretur. Obſtupeſcimus, cum audimus Joſue verbo Solis iter remoratum fuiſſe: *Obediente Deo voci hominis*; (*Exod.* 32. *Joſue* 10. *Pſalm.* 144.) Cum audimus a Pſalmorum auctore, Deum adimplere voluntatem timentium ſe, eumque eorum precibus audientem eſſe; cum legimus admirabilem Dei indulgentiam pro ſervis ſuis, celeritatem, qua eorum petitionibus ſubſcribit, & teſtimonia ſuæ erga illos bonitatis; tamen hæc non eſt poteſtas de qua agimus, cum loquimur de poteſtate, quam habet Maria apud Deum. Non agitur hoc in loco de auctoritate amici apud amicum, neque de gratia præfecti alicujus apud Principem; agitur de poteſtate Matris apud Filium, quæ licet non ſit ejuſdem prorſus naturæ ac illa quam exercebat in terra; tamen non eſt ſolum magna, verum etiam inſculpta in ipſa natura; ita ut quoad hic homo Deus erit Filius Mariæ, Maria ſuo jure fruetur, & erit apud hunc filium omnipotens.

Eccleſiæ ſententia hæc eſt. Mariā multum poſſe in ſalutis noſtræ negotio.

Denique nos credere jubet Eccleſia, S. Virginem magnam habere poteſtatem in ſalutis noſtræ negotio, ac illud enixe procurare. Hinc in precibus, quas illi nuncupat adeo frequenter pro nobis, illam vocat Matrem Miſericordiæ, refugium peccatorum, Cæli portam, noſtram advocatam, ſtellam maris, ſpem, vitamque noſtram, omnia nomina, quæ innuunt, Eccleſiam in S. Virgine recognoſcere peculiarem poteſtatem apud Deum ad peccatorum converſionem exorandam. Hac etiam de cauſſa ſuadet, ut illam invocemus potiſſimum pro mortis hora, ex quo intelligimus, Matrem Dei multum pollere gratia ad obtinendam a Filio finalem perſeverantiam, quæ ſignum eſt prædeſtinationis. Ita illi etiam applicat hæc verba, quæ egregie illi conveniunt. *Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo: & dixit mihi, in Jacob inhabita: & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices.* Qui inde concludunt, teneram ſolidamque erga Sanctam Virginem devotionem ſignum eſſe prædeſtinatio-

nis

turne? Si illa non repellit nequiſſimos peccatores, repellet ſervos ſuos, ſibique familiares? Ah! Magnum mihi confidentiæ meæ argumentum! Maria Dei Mater eſt, ſimulque Mater mea. Summa ejus apud Filium auctoritas; ſumma illius erga me bonitas. Poſt hæc ſi illi ſervio, ſi in illa confido, mihi ne abjicienda eſt ſpes Salutis meæ, an potius pro certa eſt habenda? *Idem.*

Olim ſimplicius agebatur, ſed religioſius in Deiparæ cultu, & quin in dubium vocarentur illius elogia, & prærogativæ ſine diſputatione colebatur.

Quantum diſcriminis intereſt inter Fideles ſæculi hujus, & eos, qui nobis præceſſerunt, in iis, quæ pertinent ad Mariæ devotionem! Olim ſimplices illi, atque grati animi ſenſu imbuti, ac obſequio erga communem Matrem, conabantur ſancta æmulatione illam ſuis laudibus condecorare; modo vero prorſus inverſa ratione, maxima ſervatur in laudibus parcitas; & quaſi illa honorari non poſſet citra Filii contumeliam, adeo ſevera inolevit cenſura, ut vix ſuſtineri poſſint ea, quæ a Patribus dicta fuerunt. Olim cum homines melius vivere noverant, quam diſputare, ſequebantur ſimpliciter motus ſuæ devotionis; atque ut efficacius conſequerentur Jeſu Chriſti gratias, confugiebant ad ejus Matrem, quam *Mediatricem*, *Advocatam*, *Matrem gratiæ*, *& Miſericordiæ*, *Reginam*, *Refugium*, *& Spem peccatorum* vocabant. In præſentiarum melius diſputare norunt, quam vivere. Super hæc nomina quæſtiones fiunt paucis utiles, inutiles aliis, qui ſciunt ſuæ Religionis principia, infirmis animabus pernicioſæ, quæ inde ſcandalizantur, & favorabiles contemptoribus Religionis, qui inde eliciunt argumenta non elicienda. Sæpe etiam ad hanc Spiritus infirmitatem, vel cordis ignaviam deſcenditur, ne quis incidat in ea probra, quæ nonniſi in pſeudo-devotos incidere poſſunt, & hinc infertur, melius eſſe devotionem omnem ejurare. Hæc agendi ratio non eſt minus pernicioſa in illationibus ſuis, quam fallax in principiis; de devotione judicium ferre ex quibuſdam locis tantum ex quibus ſcandali occaſio naſcitur, non autem ab illis, ex quibus ædificari poſſemus. Sub hoc prætextu, non deeſſe pſeudo-devotos, ita confunditur quod ſejungendum eſt; videlicet abuſus, qui omnino damnandi ſunt, & devotio, de cujus ſubſtantia agere bono Catholico non licet, ne locum præbeat infirmis credendi, ſaltem inutile eſſe adhærere devotioni, & cultui Sanctiſſimæ Virginis. *Ex elogiis hiſtoricis.*

Cum SS. Patres loquebantur de Matre Dei, pro hac cautela, quaſi Reformatores temporum utuntur, conabatur excitare ad cultū illius.

Cum Patres locuti ſunt de Sancta Virgine, ſi quando ſcripſerunt nimis amplificari poſſe vel laudes, quæ tribuuntur illi, vel augeri confidentiam, quæ habetur in illa, vel obſequia religioſa, quæ illi impenduntur; hoc raro accidit, ac illis tantum temporibus, quæ ita fieri ſuadebat neceſſitas. Hæc autem ubi non urgeret, quonam ardore non laudarunt illam, non excitaverunt Chriſtianorum confidentiam, ipſorum etiam peccatorum, ad præbendos illi omnes honores, quos pietas magis ingenioſa illis ſuggerere poteſt? Pro his urgentibus devotionis ſtimulis erga Mariam, pro his adhortationibus ad illam benedicendam, & invocandam, pro utili hac praxi eidem ſerviendi, quæ olim in libris legebatur, in neotericis hiſce moderatoribus non occurrunt niſi adfectatæ cautelæ ad ingerendam ſuſpicionem laudum, quibus Deipara decoratur, confidentiæ quæ in illa habetur, & honorum, qui illi deferuntur. *Pater Aurelianenſis in Devotione Mariæ Virginis.*

His cenſoribus ſatis non eſt perſequi abuſus devotionis, ipſam perſequuntur devotionem.

Eſto; ſi ſatis eſſet his perſequi abuſus & mala, animo medicinam afferendi, & cum hoc laudarent devotionem erga Matrem Dei; laudarem ego quidem eorum prudentiam, & univerſa Eccleſia illis gratias agere teneretur. Verum cum crepent tantum illuſiones, abuſus, mala, ſuperſtitionem, ſcandala, quæ præbent devoti nonnulli, nonne credendi locum præbent, ipſos eamdem perſequi devotionem?

Poſt adhibitas præcautiones loquendi de B. Virginis cultu, non licet reſpuere verba, quibus Patres, & Doctores uſi ſunt.

Scio quid præcavendum eſt, ne delicatæ quorumdam auditorum aures lædantur, ubi aliorum zelo velificari velimus. Magna Sanctæ Virginis Elogia temperanda eſſe aliqua coarctatione, quam nos fides indigitat; cavendum eſſe diligenter ne foveantur bipalmares populi errores, ubi volumus excitare devotionem; adorationem quæ debetur in ſpiritu, & veritate, & quæ uni debetur Deo; ſemper ſecernendam eſſe a cultu, quem præſtamus Virgini huic incomparabili. Mulierem hanc Sole amictam, Solem ipſum non eſſe; rivum gratiarum non eſſe fontem earum. Sed ubi Fidelium fidem erudivimus, cur eorumdem pietati non ſuffragamur? Cum fatemur Sanctam Virginem quantumvis glorioſam in ordine creaturarum eſſe, verebimurne dicere, eam inter has eſſe perfectiſſimam? Cum dixerimus noſtræ ſalutis pretium, omneſque Eccleſiæ theſauros in Jeſu Chriſti Sanguine contineri, poſſumuſne nimis venerari Virginalem ſinum, qui hanc adorabilem victimam protulit? Ne timeamus ergo exaggerationes fidei pericloſas. Poſt tot oracula, deciſiones, & ſcripta prorſus divina, in quibus expoſita eſt fidei Chriſtianæ Veritas, ne timeamus, a populis coarctari cultum, quem Sanctæ Virgini tribuunt. Non confugiunt ad illam, niſi ad Jeſum Chriſtum ituri; Alteram reſpiciunt tamquam ducem, alterum vero tamquam terminum ſuum. Implorant Sanctæ Virginis interceſſionem; ſed gratiam totam a Redemptore præſtolantur. Levant quidem oculos ſuos in montes, cum Sanctam Virginem deprecantur; ſed auxilium ſperant a Domino, luminum patre, & omnium bonorum principio. *Abbas du Jarry.*

Maria tantū particeps fuit reparationis hominum, quantum Eva eorumdem interitus.

Cum Incarnationis Myſterium ſit par, & integra compenſatio myſterii iniquitatis, per quam mors in Mundum ingreſſa eſt, ſequitur, Sanctam Virginem tantum fuiſſe humanæ reparationis participem, quantum fuit Eva excidii ejuſdem. Igitur de Sanctæ hujus Virginis manu, Adam, & omnis ejus poſteritas recipere debet hunc fructum benedictionis, quem geſtavit in utero ſuo, & gratiam Jeſu Chriſti, cujus fons divinus, & inexhauſtus ſe effundit per rivum hunc, qui nunquam clauſus eſt illis, qui eum aperire conantur ferventi prece, & perfecta confidentia. Colligamus noſtras voces, & corda, ut illi noſtra profiteamur obſequia. Tot Templa in nomine ejus ædificata, tot Sanctæ Societates ſub ejus auſpiciis inſtitutæ, tot Virginum millia, quæ ſicut Angeli terreni ad exemplar Cæleſtium, eam tamquam Reginam ſuam colunt, tot admirabiles ſuæ protectionis effectus in eos, qui perſeveranter implorant Sacrum Mariæ nomen undequaque conjunctum cum adorabili Nomine Jeſu, fit viſibile complementum prophetiæ, quæ his verbis continetur: *beatam me dicent omnes generationes.* (*Luca 2.*) Hic gloriæ zelus inſculptus in populorum corde, & inſtauratio devotionis ſenſibilis in omnibus ſollemnitatibus, quas illi conſecrat Eccleſia: hæc omnia nonne ſunt tamquam totidem perſpicuæ voces, quæ evulgant magnalia incomparabilis hujus Virginis, quæ cum quovis tempore uſitatæ fuerint in Eccleſia Sancta, confirmant noſtram in ejus auxilio confidentiam contra ea quæcumque, quæ nominis ſui inimici poſſent in oppoſitum proferre? *Idem.*

In Sācta Virgine validā habemus protectionē.

Dubitare non poſſumus, quominus in Sancta Virgine validam protectionem habeamus, & dicere poſſumus illam Mediatricem eſſe inter Jeſum Chriſtum, & homines. Per hanc oblectatur nobis gratias ejus communicare. Hæc ſollicitat, ac urget pro nobis illius miſericordiam. Hæc mulcet iram, cum irritata eſt. Hæc dexteram cohibet, cum jamjam eſt percuſſura. Denique ſtella eſt hujus curſus, & niſi ab illa oculos averterimus, fieri non poteſt, quominus nobis effulgat propitia. *Abbas Trappenſis.*

Honor a Deo Mariæ conceſſus illi noſtrum obſequium & confidentiā conciliat.

Poteſtne amari Jeſus Chriſtus ſicuti amandus eſt, & non amari illa, quæ majorem habet partem caritatis, & benevolentiæ ſuæ, quam homines ſimul, & Angeli habeant? Sancta illius Mater videlicet. Hæc diſtinctio honoris, & gloriæ, atque Sanctitatis, quæ illam attollit ſuper ceteras creaturas, apud nos illi conciliat reverentiam, cultum, & confidentiam prorſus peculiarem confugiendi ad eam in omnibus communibus, non ſecus, ac in urgentioribus neceſſitatibus. Neque dubitandum eſt quominus hæc ſit intentio Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ. *Idem.*

Devotio erga Mariam perfugiū eſt, quo non eſt abutendum.

Verum eſt Sanctæ Virginis devotionem maximum eſſe peccatoribus perfugium; nec illis eſſe deſperandum, qui ſincere, integreque in illa confiderint. Hæc devotio, & confidentia illos protegit ab ira Dei; ſed ſi hac abuſi fuerint gratia, illam nobis auferet Deus; devotionem hanc amittemus, ſimulque ſpem omnem. Et quoniam Sancta Virgo non poteſt a nobis hunc avertere interitum, niſi comparans nobis gratias protectionis, ut nos a periculis liberet: ſi illa invita in ea noſmet conjecerimus, ad quid nobis proderit ejus protectio? Illa ſalutem noſtram procurare non poteſt, quam obtinens nobis gratias converſionis; quibus ſi reſiſtimus, ad quid illæ proderunt, niſi ut magis inexcuſabiles efficiamur? Quomodo illa certam facere poteſt prædeſtinationem noſtram, niſi efficiendo, ut moriamur in gratia, & quomodo in gratia mori poterimus, ſi ſemper in peccatis vixerimus? *Pater Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus in ſingulos anni dies. Tomo ſecundo.*

Quomodo illud intelligendum, Mariæ ſervum nunquā periturum.

Mariæ Servus nunquam peribit: verum eſt. Sententia hæc innititur auctoritati Sanctorum Patrum, rationi, & experimentis: ſed verus Mariæ Servus. At Mariæ Servum eſſe, eſtne eſſe Mundi, dæmoniſque mancipium? Mariæ Servum eſſe, eſtne, eſſe inimicum Filii ipſius, & nolle cum illo in gratiam redire? Mariæ Servum eſſe, eſtne ingurgitare ſe vitiis omnibus, quæ illa perhorreſcit? Servum eſſe Mariæ, eſtne impotenter infringere leges Filii ſui, & velle ſe protectionis ejuſdem pallio tueri ad evitandas pœnas, quas meretur eaſdem infringens? Hoccine eſt Mariæ Servum eſſe, exterius geſtare ejus inſignia, & habere cor prorſus oppoſitum cordi ejus, & illi diſplicere, diſplicendo Filio ejus? Ipſa etiam, non ſecus, ac Filius cupit converſionem, non autem mortem peccatoris; ſi obſtiteris per pertinaciam, illa non reſpiciet amplius te tamquam Servum ſuum, ſed tamquam inimicum, quoniam animo obfirmato eſſe vis Filii ejuſdem inimicus. *Idem.*

Divinæ Maternitati innititur præclara Elogia, quæ diſplicent inimicis cultus Mariani.

Super divina potiſſimum Maternitate Patres, & Doctores Eccleſiæ fundarunt Elogia Sanctæ Virginis, quibus ſpiritus erroris laceſſitur. Sed perperam laceſſitur. Ex quo Scriptura, & poſt Scripturam oracula fidei noſtræ ſtatuerunt hoc principium, receptum etiam ab errantibus, qui impugnant concluſiones, quæ inde conſequuntur, Mariam eſſe Dei Matrem, hoccine exaggerare eſt, dicere Sanctam Virginem peperiſſe auctorem vitæ, aluiſſe Creatorem ſuum, & quomodo canit Eccleſia, quem Cæli capere non poterant

gremio

gremio ſuo continuiſſe? Eſtne ex eodem principio perperam arguere, cum Sancto Bernardo dicere, (*Serm. de Aſſumpt. Hom. 2. ſupra miſſus eſt.*) Sanctiſſimam Virginem penetraſſe magis, quam fingi poteſt, in abyſſum luminum, ubi divinitas habitat, & cum Deo ſingularem contraxiſſe affinitatem; cujus vi facta eſt Filia Patris, Mater Filii, Sponſa Spiritus Sancti eo modo, qui uni illi decet creaturæ; & vi fœderis hujus ipſam eſſe vere Mundi Reginam, Reginam Cæli, Reginam Beatorum omnium, non ſolum eo modo, quo dicimus Solem eſſe Regem aſtrorum, quia pulcherrimus eſt, ſed cum aliqua proportione, ſicuti in Regno Reginas vocamus Matrem, & Sponſam Regis. Hoccine igitur eſt perperam argumentari, inferre ex eo, quod hæc Mater eſt Dei a quo nos redempti ſumus per vitam, quam ab hac eadem Matre recepit, poſſe illi attribui quodam in ſenſu, qui minime convenit illis, qui cooperantur ſaluti hominum ſolum per preces, curaſque ſuas, titulum Mediatricis ſalutis, quem tribuit Mariæ Sanctus Bernardus (*Epiſt. ad Canonicum Lugdun.*) ſine præjudicio qualitatis, ſolius, unicique Mediatoris, qui in ſenſu proprio reipſa, quemadmodum intelligebat Sanctus Paulus, convenire non poteſt, niſi Jeſu Chriſto. *Pater Aurelianenſis in tractatu de Devotione Mariæ.*

Quā ſolide inſtituta ſit devotio erga Mariam.

Ad perſuadendum pertinaciſſimo cuique per evidens, ac ſenſibile argumentum nihil ſolidius conſtitutum fuiſſe devotione erga Sanctam Virginem; mihi ſatis eſſet producere authenticum Eccleſiæ teſtimonium per traditionis veſtigia prima repetendo ſæcula, ac colligendo omnia Græcorum, Latinorumque Patrum ſuffragia, conſulendo veteres Lyturgias, ſequendo lumina, quæ Sancta ſuppeditat hiſtoria: prolixam quippe inſtituerem enumerationem templorum omnium, & altarium, quæ nomini illius ædificata fuerunt, imaginum pictarum, cæſarumque, quas hereditario jure a majoribus noſtris acceperunt, Ordinumque Regularium in honorem illius inſtitutorum. In memoriam vobis revocarem zelum ardentem, & univerſalem, quem quodvis ſæculum, quo Sanctiſſima Virgo impugnata fuit, prætulit ad gloriam nominis ejus tuendam; magnum numerum feſtorum dierum, quos illi ſacravit Eccleſia, precum, quas indixit fidelibus recitandas in honorem illius; ac tandem generalem hanc omnium temporum, & nationum conſenſionem in celebrandis ejuſdem magnalibus. Hinc tamquam ex principio probatiſſimo hanc certiſſimam elicere poſſem concluſionem contra Sanctæ Virginis inimicos: Eccleſia cum in ſuis obſervantiis, & Religioſis cæremoniis ducatur Spiritu Dei, dubitari non poſſe, quominus profunda veneratio, quam ſuis inſpirat Filiis erga Mariam, & diſcrimen hoc quod inter illam, alioſque Sanctos conſtituit, ſolide ſint inſtituta. Si enim verum eſt, tunc dicerem illis, Fideles excedere in honoribus, quos deferunt Sanctæ Virgini; & ſi cultus, quo illam proſequuntur, Deo tantum convenit, quomodo fieri poterat, ut Deus illum probaret miraculis, ut pateretur Eccleſiam, quam ſemper regit Spiritus Sanctus, canere elogia Sanctæ Virginis, ut omnes Sancti præteritorum ſæculorum in illa adeo confiderent, & perſonæ ipſæ, quæ hodierna die maxima cum pietate vitam ducunt, adhuc in hoc errore perſiſterent? Nonne jure queri poſſemus de Providentia, quæ adeo ſollemniter fidem ſuam obligavit pollicita, ſe ſemper Eccleſiæ invigilaturam? *Pater Cheminais ſermone tomo 2.*

Maria cum oblivifci nequeat ſe hominū Matrem eſſe, ſeſe objicit iræ Dei contra peccatores.

Hæretici impugnant Sanctæ Virginis miſericordiam, quaſi oblivifci potuerit, ſe non fuiſſe Matrem Dei niſi pro nobis, qui cum ſimus fratres, & coheredes Jeſu Chriſti, ſumus filii ſui; ipſam caſtis viſceribus ſuis tuliſſe omnium mortalium Salvatorem; & hunc illa dumtaxat uſum eſſe, ut veniret in terram quæſitura quod perierat. Non ita. Sancta Virgo nonniſi ægre, & gravate ſubſcribere poteſt damnationi peccatorum, & Dominus probat eam caritatem, quam habet pro illis. Pater Cæleſtis non vult peccatoris interitum niſi ex dimidiata parte, donec filius rebellis adhuc converti poteſt; non jaculatur fulmen, niſi cum nemo retinet brachium ſuum; ſed ubi invenit Moyſem orantem, Oratio excutit illi de manu telum. Cum Aaron thuribulum manu gerens ſeſe in medium conjecit populum jamjam igni Cæleſti abſumendum, Deus ſe thure mulceri paſſus eſt; & cum ipſe quoque conſilium init perdendi populum ſuum, & in illius infidelitates animadvertendi, unum quærit juſtum, qui iram ſuam lenire valeat, ac ubi invenit illum, lætatur. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſpem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eum; & non inveni.* (*Ezech. 6. 21.*) Nec miror, Pater miſericordiarum! Maria nondum aderat calamitoſis illis temporibus; nondum mundo dederas adeo validam Protectricem; ſed ex quo illam obtinuimus, quoties iram tuam inflexit? Quoties brachium cohibuit tuum? Quoties ſtetit inter te & peccatorem, offerens tibi lacrimas, quas ex oculis noſtris extorquebat pœnitentia, & nobis obtinens veniam criminum noſtrorum, vim faciens, audeo dicere, aliquando providentiæ tuæ, ut ad nos ſalvos faciendos miracula perpetrares? Beatus igitur qui ſpem ſuam in Maria collocavit. Beatus, qui plenus veneratione erga Filium, dicit ab infantia confugere ad protectionem Dei; qui in corde ſuo alterum ab altera non ſeparavit, & qui fallaci zelo non privavit ſe perperam ſubſidiis potentiſſimis, & efficientiſſimis, quæ nobis ad ſalutem ſuppetunt. Quod ſi non videntur amplius hodierna die ſubitæ converſiones, admirabiles mutationes, quas Manus Domini operabatur in gratiam Servorum Virginis; hinc factum eſt, quia clauſa ſunt populo hæc viſcera miſericordiæ. Ablatum fuit peccatoribus perfugium; & ſublatis mediis omnibus ad Deum redeundi ſæpe ad deſperationem redacti ſunt. *Ex Sermone Patris Cheminais tomo 2.*

Maria quatenus hominum Mater, objicit ſe iræ Dei merito contra peccatores irritati.

Felicibus his Temporibus, quibus fides, & docilitas Fidelium permittebat, ut Eccleſiæ Patres ſuos de Virgine ſenſus ſignificarent; cum unicuique ex Patribus ob oculos verſaretur auguſta hæc Deiparæ qualitas, pro ſe quiſque conabatur omnem ſuſtinere magnitudinem glorioſiſſimis Encomiis: & uſus verbis præſtantiſſimis, fatebatur dicta ſemper eſſe meritis deteriora. Quod zelus, quem neoterici hodie audent reprehendere, videbatur aliquid nimis emphatice protuliſſe, rectitudine cordis eorum corrigebatur. Id ſolum cogitabatur, quod erat cogitandum, cum dicere videbantur, quod dicendum non erat; & non legimus ſcriptis ſuis aliquod ſcandalum inter Fideles peperiſſe. Legimus e contra, illos ſæpe prodigia gratiæ patraſſe, quæ noſtro hoc ſæculo patrari non videmus ab iis, quibus tanta eſt cura præterita tempora memorandi. Hodierna die ubi ſermo incidit de Sancta Virgine, non timetur amplius, ne ſatis dicatur; timetur, ne lædatur illorum mollities, qui ſibi perſuadent ſemper nimis prædicari. Oblivifcendum eſt ferme illam, de qua ſermo eſt, eſſe Dei Matrem, & nemo audet exponere Catholicis magnalia, potentiam, & bonitatem Virginis niſi quodam cum temperamento, quod ne hæretici quidem olim quæſiviſſent. *Idem.*

Præſumptio eorum, qui liberiores ſunt æquo, ac temeraria confidentia in Virginis protectione.

Operæ pretium eſt animadvertere præſumptionem in Chriſtianiſmo eoſdem ferme parere abuſus, quos in Paganiſmo damnamus, cum peccatores per ſtatum, & habitum voluntarium, non ceſſant ſibi Deiparæ opem polliceri. Verum eſt, æquo liberior, ait, ſtatus, in quo ſum, funeſtiſſimos exitus habere poteſt; at nullo ne in diſcrimine habere debeo Deiparæ clientelam? Cum habetur adeo potens mediatrix, nihil ne ab illius curis expectandum eſt? Nonne ipſa peccatorum Mater eſt æque ac juſtorum? Inde vero quæ concluſio, quæ in moribus mutatio? Nulla ſane; & hoc vocari poteſt, declarare Sanctam Virginem peccati ſui patronam. Quidam non timet terræ loliginis ſuccum allinere, & officere nomini proximi ſui aculeatis obtrectationibus; & quia mali tanti reparatio illi negotium faceſſat, quieſcit ſub titulo Beatæ Virginis, quem unum ſufficere putat ad certam faciendam ſalutem ſuam. Quidam poſt quam aliquas dominici diei horas impendit in Mariæ famulatum, levis hujus Sacrificii contentus, religioni ſibi non vertit integram traducere hebdomadam in otioſitate, quæ æque indigna eſt ſtatu ſuo, & moribus ſuis pericloſa. Quidam habitat in domo, quæ ſibi ſcandalo eſt, & lapſus occaſio: ibi tranquille permanet, donec videt circum ſe ignem concupiſcentiæ undequaque ſuccenſum. Quidam ad ſeceſſionem vocatus vehementi Spiritus ſancti afflatu, qui oſtendit illi periculum, quod in Mundo ſubit, renuit reſpondere gratiæ vocationis ſuæ. Quidam poſtquam Sacris ſeſe proluit Myſteriis, eadem die iis ſeſe admiſcet ſocietatibus, ubi novit funeſta doctus experientia, inevitabilem eſſe ſibi intemperantiam, & ebrietatem. Quidam ſpectaculorum perditus Amator, imprudenter ſeſe objicit omnibus impreſſionibus, quas in animo ſuo efficere poſſunt objecta, quorum vim, mortaleſque impetus ſatis expertus eſt; & putat harum rerum omnium Sanctam Virginem rationem eſſe reddituram: ſe immunem arbitratur a jaculis iræ Dei, donec inniti potuerit clientelæ Matris Sanctiſſimæ. Ita Judæi, infideles illi magis idololatræ, quam ipſi cultores Idolorum, putantes ſe ſolos habere Templum Veri Dei, quamvis illud frequentibus polluerent iniquitatibus, arbitrabantur illud ſibi aſylum, ac refugium fore contra divinam Juſtitiam. Ita confidebant in Arca Myſtica, quæ terrorem incutiebat in exercitum inimicorum ſuorum, & quæ illos certos faciebat in omnibus belli periculis, quin cogitarent, ſe ubi Deum ad iracundiam provocaſſent, Arcam hanc attuliſſe cladem exercitui ſuo, & morte ſubita percutere conſueviſſe eos, qui Sacrum illud Dominici fœderis pignus non colerent. Quantumvis modica adhibeatur ad funeſtos hoſce effectus, quorum ipſi teſtes erant, attentio, ſenſus, quem illis immittere debebat Arcæ ejuſdem intuitus, nonne eſſe debebat propriam ſcrutari conſcientiam, ut inveſtigarent utrum eſſent in gratia Dei, ne hoc ſymbolum myſticum protectionis Cæleſtis converterent in triſte iræ ipſius inſtrumentum? Nonne ſimiles ſenſus nobis inſpirare debet devotio Sanctæ Virginis, non autem inanem in illius ope, & favore præſumptionem? *Idem.*

Idē ſequitur argumentū, & in quod præceps nos ita conjiciat præſumptio.

In quam igitur abyſſum me præcipitem agebam, hunc prætexens cultum, quem Sanctæ Virgini præſto? Ingredimini, Fideles, in hos ſenſus. Quam certitudinem illa præſtitit mihi, me male viventem ſalvum fore? Quam mihi

pro-

propoſui ideam Virginis Sanctæ, cum credidi, illam morum meorum laxitatem propugnaturam? Hiccine cultus eſt, an potius abominatio, qua ejus aras pollui? Quomodo ſperavi Matris patrocinium, cum Filio ejus mortem inferebam? Talis eſt error, in quo vixi, Virgo Sancta; Hæc eſt contumelia, qua tuam affeci miſericordiam. Ecce cauſſam dicteriorum, quæ contra te evulgarunt inimici tui. Mundus errorum meorum teſtis, & lætus ſe inveniſſe prætextum te non honorandi, rejecit in te mala, quæ merus erant effectus nequitiæ, & ingratitudinis meæ, & ille, qui fortaſſe bono exemplo meo moveri poterat, ſi meliorem me vitam ducere inſpexiſſet, & ſincera tibi præſtitiſſet obſequia, videns me ſceleribus inquinatum concepit contemptum praxis ſolidæ devotionis. Errabat ille proculdubio; male norat ſenſus cordis mei; neſciebat me non eſſe ex tuorum numero niſi in ſpeciem, & me a te non ſuſtineri niſi tamquam infidelem ſervum, cujus alias tibi accepta fuerant obſequia, & cujus adhuc pœnitentiam expectas. *Pater Cheminais Sermone tomo 2.*

Non habebimur indiſcreti devoti, cum Virgini ea deferemus Elogia, quibus a Sanctis Patribus decoratur.

Ne vereamur haberi indiſcretos Sanctæ Virginis devotos, cum illam appellamus Mediatricem, & Reparatricem noſtram; cum dicimus illam nobis eſſe vitæ fontem & noſtram conſolationem in hoc exſilio, eamque in periculis omnibus ſpem noſtram vocamus. Cur? nam ad finem uſque ſæculorum, licet hæreſis indigne ferat, atque contabeſcat, ad illam confugiet Eccleſia, eamque ſub his omnibus titulis ſalvare jubebit, *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Salve.* Vita noſtra, quomodo? Poſt Deum, & Jeſum Chriſtum: dulcedo noſtra; quomodo? Poſt Deum & Jeſum Chriſtum. Poteſtne citra imprudentiam, & nequitiam aliquis ſuſpicari nos, vel potius Eccleſiam id alio in ſenſu intelligere? Et quia certum, & manifeſtum eſt, hunc eſſe Eccleſiæ ſenſum; & non alium a nobis haberi, quantumvis delicati hujus noſtræ devotionis erga Dei Matrem cenſores adlatrent, non ambigimus illam abſolute vocare vitam noſtram, abſolute conſolationem noſtram, abſolute ſpem noſtram. *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Salve.* Utique, ita canimus cum Eccleſia; & cantabitur uſque ad extremam temporum conſummationem. Sanctiſſimæ Virginis inimici pertranſibunt, ſed illis ſuperſtes erit Eccleſia. Eccleſia poſt illos ſubſiſtet, & meo ſenſu penetrata, confugiens ad Sponſi, & Salvatoris ſui Matrem dicet ſemper: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra. Pater Bourdaloue in Myſteria, tomo 2.*

Impietas eorum, qui dant operam invenituri quid objiciant devotioni, & devotis Mariæ.

Quid ſentiendum eſt de hominis ingenio, qui paratus eſt ferendis dubitationibus de Magnalibus Sanctiſſimæ Virginis, & de illuſtribus ejuſdem prærogativis? Semper attentus quærendis novis ambagibus, ut eas nobis in ſuſpicionem adducat, & in eo omnes induſtriæ ſuæ nervos intendens, ut verſutiis ſuis fidem abroget vetuſtiſſimis praxibus, eaſque aboleat potius quam eaſdem tueatur, atque dilatet. Proh Deus! Opus ne erat, ut verbi tui miniſterium hodierna die eſſet neceſſarium ad tuendum honorem, & cultum, quem jure ſuo Chriſtianus orbis reddit Sanctiſſimæ Virginum? Poſtquam primi noſtræ Religionis Patres vires exhauſerunt ſuas ad Magnalia Deiparæ prædicanda; poſtquam deſperarunt ſe invenire poſſe voces ſublimitati ſtatus ejuſdem pares: Poſtquam ut unum pro omnibus nominem, Sanctus Auguſtinus confeſſus eſt ignorantiam ſuam, & palam profeſſus eſt, verba ſibi deeſſe, ut Deiparæ debitas laudes tribueret: *Quibus te efferam laudibus neſcio*; opus erat, ut mihi impugnandæ eſſent fallaces eorum exceptiones, qui metuunt illam immodicis efferre laudibus, & qui audent conqueri, eam nimis honorari? En tamen unum ex ſæculi noſtri malis. Prout mores noſtri depravati ſunt per quamdam reformationis ſpeciem, nimia ſubtilitate cultus ſimplicitas quæſita eſt. Prout fides intepuit, & elanguit, quæſitum eſt, quomodo vivens, & ardens appareret in neſcio quibus articulis, qui non profuerunt niſi ad inutiles diſputationes ciendas, & gignendam ſpirituum diſſenſionem, qui erant ædificandi. Si aſſerti hujuſmodi zelotes, & indiſcreti cenſores cultus Sanctæ Virginis in conſilium acciti fuiſſent, eorumque ſententia valuiſſet, nunquam illi conſenſiſſent huic multitudini feſtorum in illius honorem inſtitutorum. Infinitus hic numerus Templorum, ac Altarium dicatorum Deo ſub ejus nomine, illis minime placuiſſet. Tot praxes ab Eccleſia inſtitutæ ad alendam pietatem noſtram erga Dei Matrem illos offendiſſent, & ſi illis præberentur aures, eas delendas eſſe cenſerent. Per illos non ſtetit, nec ſtaret amplius, quominus ſub inani fuco cultus hujus prudentis, ſed prudentis ſecundum ſenſum ſuum, quem introducere vellent in Chriſtianiſmo, Religio reduceretur ad jejunam ſpeculationem, quæ ſtatim degeneraret, & quæ re ipſa noſtris hiſce diebus palam in veram degenerat devotionis carentiam. Sed quidquid conata fuerit Hæreſis per tot ſæcula contra te, Virgo Sancta, cultus tuus viguit, vigebitque. Nunquam portæ inferi prævalebunt contra zelum Chriſtianorum, & contra fidelitatem eorum in tribuendis æquiſſimis obſequiis, quæ pertinent ad te. Quacumque utatur arte, ac niſu ad evellendos ex eorum cordibus ſenſus teneros, & obſequentiſſimos, quibus tuæ gloriæ inhærent, eos fovebunt, evulgabunt, & de illis gloriabuntur. Pietas eorum victoriam referet, & nihil eos ſeducere poterit, vel labefactare. Tu es Sancta Dei Mater, tu ſcopulus es contra quem alliſi ſunt omnes errores, ac in te ſemper allident. Tu ſola hæreſes univerſas interemiſti. Ne una quidem oborta eſt in Chriſtianiſmo, quæ te non oppugnaverit, & quam tu non expugnaveris, & non confuderis: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo. Pater Bourdaloue ſerm. tomo 2.*

Si Eccleſia decrevit Sanctos invocari poſſe; ergo multo magis Mariam.

Quandoquidem generatim Eccleſia decrevit, poſſe nos invocare Sanctos, quos Deus de hac exſilii terra, in qua vivimus, amovit, ſecumque in Regno ſuo collocavit; nonne potiori jure licet nobis in omnibus vitæ hujus neceſſitatibus ad Sanctorum Reginam confugere, eique noſtra vota nuncupare? Quid illi deeſt ex rebus omnibus, quæ noſtram poſſunt confidentiam confirmare? Putabimus ne illam unice ſua felicitate contentam, & propria gloria occupatam ſalutem noſtram nullo habere in diſcrimine? Verum nonne ſemper eſt Mater Miſericordiæ? Nobiſmet perſuadebimus, Deum illam glorificantem adeo anguſtis finibus poteſtatem ſuam coercuiſſe, ut illi non ſit amplius integrum efficere, ut ſalutaribus effectibus ejus perfruamur? Sed nonne ſemper eſt Mater Dei Salvatoris, quem peperit Mundo, & qui ſemper fuit ſubditus illi? Numquid recipiens meritorum ſuorum remunerationem præclariſſimorum jurium ſuorum jacturam paſſa eſt, & ſi filius hic adorabilis, quem caſtis ſuſcepit viſceribus, propter illam in terris miracula operatus eſt, numquid illa in Cælo facere detrectabit? Ita Patres argumentati ſunt; & in hoc fundati ſunt, ut nos energeticis verbis hortarentur, ut inceſſanter ad Matrem Dei confugeremus. Cur mihi non licet omnes hic ad loquendum inducere; vel potius cur] nequeo in compendium redigere quidquid dixerunt de Sanctæ Virginis invocatione, & de privilegiis eidem inhærentibus? Cur mihi non datur, inſignes hos Magiſtros vobis proponere, & ſecundum Sancti Pauli locutionem vos hac teſtium nube convincere? Cum enim non alia nobis ſuppeterent argumenta, numquid ulterius aliquid requireretur; & nonne temeritas eſset, quid dico? nonne eſset inſolens pertinacia reſiſtere velle auctoritati eorum omnium, quæ tot ſæculis in Eccleſia Jeſu Chriſti fuerunt Oraculorum, atque Doctorum? *Idem.*

Auferenda non eſt peccatoribus ſpes eorum, videlicet perfugium ad Mariam, modo agant recta fide.

Eo in ſæculo, ubi corruptio adeo generalis eſt, & quo videmus tot animas Jeſu Chriſti Sanguine redemptas oberrare, atque perverti, non obſtruamus illis vias reditus, atque ſalutis. Una autem ex hujuſmodi viis tutiſſimis eſt ſincera devotio erga Dei Matrem. Dicamus fidelibus, ad hoc ut Sancta Virgo fideliter invocetur, illam Chriſtiano ritu invocandam eſſe; videlicet invocandam intuitu potentiæ ſuæ, propter ejus apud Deum auctoritatem; vitæ rationem eſſe mutandam, vitium deſerendum, affectus coercendos, carnem ſuperandam, reſiſtendum lenociniis ejus, cavendum ab inſidiis dæmonis, & mundi, quæ millies deteriores ſunt omnibus inferorum poteſtatibus; vacandum eſſe Religionis officiis, eorumque praxim fovendam, Sanctitatem adquirendam, & beatam promerendam æternitatem. Sed ſimul illis dicamus quibuſcumque in flagitiis vixerint, quamvis peccatores extiterint, & adhuc ſint, benigne exaudiri poſſe a Sancta Virgine, ubi ad illam accedant cum humili, & filiali fiducia. Tantum abeſſe, ut rejiciantur ab illa, ut immo illis tendat manum, ſuum ſinum aperiat, illos invitet, & offerat auxilium. En quid illis dicere debeamus, & quod illis diso, nomine tuo. Tu profecto a me dicta non inficiaberis, & omnia verba mea confirmabis. *Idem.*

Qua in re Maria eſſe debeat nobis exemplo.

In Maria autem, quam honoramus, & invocamus, imitari debemus vitæ ipſius Sanctitatem, & hac in re illam nobis tamquam prototypum proponere. Non quidem in gratiis ſingularibus, & quas præter ordinem a Deo recepit; quandoquidem illæ ſunt Sanctæ Virginis propriæ & peculiares, noluit Deus illas nobis communicare; & inanis eſſet præſumptio illas appetere. Immo neque in fulgenti dignitate, qua amicta eſt, neque in glorioſis privilegiis, quæ illi conceſſa fuere propter electionem quæ de illa facta eſt. Admiremur hæc omnia mirabilia, confiteamur ſupremam Magnitudinem Omnipotentis, qui illa operatus eſt; concipiamus pro digniſſimo ſubjecto, in quod Altiſſimus conjecit oculos, & in quo virtutem ſuam exercuit, ſenſus zeli, reverentiæ, & venerationis, qui illi debentur. Sed hujuſmodi miracula nobis pro norma eſſe nequeunt; quandoquidem Deus non poſuit illa in poteſtate noſtra, & adeo ſupra nos poſita ſunt; In illa ergo imitari debemus, iterum dico, vitæ Sanctitatem, plenitudinem Sanctitatis, perfectionem Sanctitatis, perſeverantiam, & inviolabilem firmitatem Sanctitatis. *Idem.*

Valida protectio, quam expectare poſſumus a Maria.

Quod ſubſidium, & quam protectionem expectare non poſſumus ab hac Virgine Matre, quæ ſedens in gloria prope Filium ſuum, cum gratiam invenerit apud Deum, Sanctis precibus ſuis obtinere poteſt veniam peccatorum, ſalutem infirmorum, conſolationem afflictorum, & incolumitatem omnium Filiorum Adam. Ita quos honoris, & gloriæ titulos non dederunt illi Patres? Inventricis, Mediatricis Salu-

tis, Reparatricis ſæculorum. Et profecto dicere poſſumus illam hominibus, potiſſimum vero peccatoribus, datam fuiſſe tamquam Mediatricem, qua utiliter uti poſſunt apud Mediatorem eumdem; cum enim Jeſus mediator ſimul ſit, & judex; poſterior hæc qualitas terret eos, quos prior confirmat, & hæc eſt S. Bernardi Sententia, (*ſerm. 8. in Nativit. B. V.*) quam his exprimit verbis: Times ad Æternum Patrem accedere; ille dedit tibi Jeſum Chriſtum Mediatoris loco. Quid talis Filius non poteſt apud talem Patrem? Sed fortaſſe in illo divinam Majeſtatem reformidas; nam quamvis homo factus ſit, tamen ſemper Deus permanſit. Vis habere Advocatum apud illum? confuge ad Beatam Virginem, invenies in illa ſolam humanitatem, & audacter dicere poſſum, illa exaudietur pro ſua reverentia, & pietate, quia Filius Matrem, & Filium Pater exaudiet. Filioli mei, devotus hic Pater concludit, ecce ſcala, qua uti debent peccatores, ut ad Deum uſque perveniant; hæc eſt magna ſpes mea; nam innocens hæc Virgo invenit gratiam apud Dominum, & hac una indigemus gratia ut ſalvemur. *De Montmorel. Homil. in Evangelium tomo 6.*

Quid in Sancta Virgine imitari debeamus.

Profundam humilitatem, vivam fidem, ſpem firmam, & ardentem Sanctæ Virginis Caritatem imitari debemus. Evangelium non oſtendit nobis in illa fulgentia facta, quæ vulgi admirationem concilient. Seſe in Templum ſollemnibus diebus conferre, ſecum puerum Jeſum adducere, legis explicationem audire, domeſticæ curæ vacare, manibus ſuis operari ad ſponſi laborem levandum; Filii ſui curam gerere, domum ſuam bene regere; hæ erant ejus otia, & negotia, & communibus hiſce actionibus adepta eſt Sanctitatem, ad quam ne perfectiſſimus quiſque pervenire poterit. Hinc facile eſt arguere omnem Virtutem in eo ſitam eſſe, ut quiſque intra vocationis ſuæ terminos ſe contineat, quin inde egredi velit inſigniora facturus opera; nam quamvis vulgo pii etiam viri aberrent, hæc vera eſt Sanctitatis via, quæ quo magis latet, eo tutior eſt; quo obſcurior eſt, eo humiliati Jeſu Chriſti eſt conformior; quo eſt a ſingularitate remotior, eo magis fallit ambitionem, quæ puriſſimas quaslibet virtutes corrumpit. Certa conſolatio pro illis omnibus, qui in obſcura latentes conditione non poſſunt Deo præbere perſpicua ſui amoris indicia, & poſſunt nihilominus pervenire ad altiſſimum perfectionis apicem in hac vita. *Idem.*

Plerique peccatores indignos ſe præbent Sanctæ Virginis protectione.

Hanc Virginem Matrem toto cordis affectu colere oportet. Hæc, Sanctus Bernardus ait, noſtram excitat fidem, munit ſpem noſtram, metum amovet, ſuſtinet infirmitatem; & ecce quid nobis ſuadere debeat, non ſolum honorare illam, verum etiam poſt Deum in illa omnem fiduciam collocare; nam quid non poteſt illa apud Filium ſuum, & quid ab illa exſpectare non poſſumus; ſi adniſi fuerimus mereri, ut nos in ſuam clientelam recipiat. Sed Heu! poſſumuſne noſmet indigniores efficere, & in rebus omnibus magis oppoſitos præbere huic Matri Miſericordiæ, quam ſumus? Illa in Mundum venit propter gratiæ triumphum, ut Auctorem gratiæ produceret, ut nobis gratiam communicaret; & nos dicere poſſumus ſummo cum Chriſtianorum opprobrio, videri pleroſque non vivere, niſi ut peccatum triumphet, ut peccatum producamus, ut peccatum effundamus, & communicemus. Et ſane nonne hoc eſt naſci, ut peccatum triumphet, ut jacturam gratiæ baptiſmi faciamus, ſtatim ac ſatis rationis uſum aſſecuti ſumus, ut peccemus, totam vitam tranſigere in alterna viciſſitudine gratiæ, & peccati, Sacramentorum, & ſacrilegiorum, pœnitentiarum, & lapſuum iteratorum, cum hoc diſcrimine, ut dies una gratiæ impendatur in ſingulos annos, qui tribuuntur peccato, & cum poſt gratiam deguſtatam reditus fit ad peccatum, hoc ſecundum Tertulliani (*De Pœnitentia.*) dictum accidit poſt inſtitutam Deum inter, ac dæmonem comparationem, iterum declarando ſe in Mundi gratiam, cum dedecore, ut ita dicam, Dei ipſius. *Idem.*

Oratio ad petendam protectionem Mariæ præſertim in morte.

Potens ſalutis noſtræ cooperatrix, ingrederis Salvatoris noſtri conſilia, iiſque velificaris; verum ut ad id magis, magiſque impellamus te, elogiis, quæ tibi contulit Angelus, addimus orationem, quam tibi nuncupavit Eccleſia, Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Hæc peccatorum qualitas, ſit licet inviſa, quin nos arceat ab altaribus tuis, efficit e contra, ut confugiamus ad te. Memento pro peccatoribus te electam fuiſſe, & Deum in æternis decretis ſuis prædeſtinaſſe te, ut illos ſibi reconciliares. Memento te Matrem eſſe Miſericordiæ, & miſericordiam cum peccatoribus exerceri. Quemadmodum Filius tuus per merita ſua noſter Mediator eſt, per interceſſionem tuam eſto apud Filium tuum Mediatrix noſtra. Cælum audiet vota tua, & obtinebis ſimul, & gloriam, quod illius erga nos conſilia repleveris, & conſolationem, quod miſeros ſalvos feceris. Igitur ex hoc tempore precare pro nobis, quia jam nobis opus eſt ſubſidio tuo, ac illud imploramus. Noſcis neceſſitates noſtras, vides quot periculis quotidie, quot tentationibus, quibus lapſibus ſimus obnoxii. Infernus nos aggreditur, Mundus nos faſcinat, cupiditas excæcat, occaſio trahit, habitus dominatur: facile in malum ferimur; in eo diu permanemus, difficile illinc recedimus. Quid præter ea requiritur ad totam excitandam miſerationem tuam? Poteſne tot affici miſeriis, quin velis illis ferre opem, & medicinam? Sed præſertim Virgo Beatiſſima, ne deſeras nos in hac hora terribili, qua noſtræ ſalutis inimicus ſuos contra nos conatus ingeminat. Tunc pro nobis ingemina curas tuas, neque permittas auferri Filio tuo animas ſuo Sanguine redemptas. *Pater le Valois. Alloquia in Beata Virginis Myſteria Tomo 4.*

Idem ſequitur argumentum.

Si nobis confligendum eſſet dumtaxat cum domeſticis inimicis, qui nobiſcum oriuntur, & quos nobiſcum in nobiſmetipſis gerimus, cupiditates noſtras; eſto. Sed ea omnia quæ nobis circumſtant, quæ ſeſe offerunt oculis noſtris, quidquid ſenſus noſtros percellit, illis favent, iiſque contra nos arma ſuppeditant; In hoc tamen ſtatu miſerrimo, eo miſericordia minus digni, quo magis in dies ſingulos novis noſmet ſubjicimus periculis, & nullam quærimus opem contra ea mala, quæ per nos evitare non poſſumus. Sed fallor; in hoc eo magis miſeriores ſumus, quo ſæpius nos minus eſſe miſeros exiſtimamus; & dormitamus ſine cura, ſine vigilantia in fallaci ſecuritate. Sed tu es Mater Sancti amoris, & timoris Chriſtiani: & per te gratiam obtinebimus accuratioris vigilantiæ, & metus ſalubrioris. Noſmet componere debemus ſecundum exemplum tuum, & in exemplo tuo inveniemus æque unde erudiamur, & erubeſcamus. *Idem.*

Devotio ſervituti Deiparæ.

Reple, Virgo Sancta omnem latitudinem ſignificationis nominis tui. In Cælo te Cælites adorent, te in terra homines revereantur, te in inferno ſpiritus illi nequam reformident. Regna poſt Deum ſuper ea omnia, quæ ſunt infra Deum; ſed potiſſimum regna in corde meo. Tu eris conſolatio mea in anguſtiis, virtus mea in infirmitatibus, conſilium in dubiis. Audito ſolo nomine tuo, tota excitabitur fiducia mea, totus inflammabitur amor meus. Cur nequeo profunde inſculpere in omnium corde Sanctum hoc nomen! Cur nequeo illud ponere in ore omnium, & omnes mecum ad illud celebrandum adigere? Maria, o nomen ſub quo nemini deſperandum eſt! Maria, o nomen toties impugnatum ſed ſemper glorioſum, & quod ſemper victoriam reportavit! Maria nomen ſemper jucundiſſimum, ſemper ſalutare animæ meæ, quod me in dubiis confirmat, in languoribus excitat, in laboribus ſuſtinet. Singulis vitæ meæ diebus illud proferam, ac illud proferens cum Sacro Jeſu Nomine conjungam. Filius revocabit Matris memoriam; Mater vero memoriam Filii. Jeſus, & Maria, hoc os meum millies in morte iterabit. Jeſus, & Maria hoc cor meum, ore deficiente, interius iterare non ſinet. Uſque ad extremum ſpiritum in auribus meis repetetur hoc Nomen Jeſu, hoc Mariæ Nomen, & ad extremum uſque ſpiritum hæc mihi erunt nomina ſalutis, & benedictionis. *Idem.*

Actus ſpei in Virginis protectione.

Si in hoc viſibili Mundo ſpes bonorum inviſibilium nos fulcit, & vivere facit; Tu Sancta Virgo poſt Deum es vita noſtra, quia poſt Deum in te fundata eſt ſpes noſtra. Si in hac mortuorum regione nihil ſolidius conſolari nos poteſt in iis malis, quibus ſumus obnoxii, niſi exſpectatio Cæleſtium deliciarum, quas guſtas in regione viventium; tu poſt Deum es noſtra conſolatio, quia in te poſt Deum conſtituta eſt exſpectatio noſtra. O pauperum Præſidium! O malorum noſtrorum perfugium! O ſolida ſpes peccatorum! Urgeat nos indigentia, confugiemus ad te, & nobis auxiliaberis, ut eam ſuſtinere poſſimus. In nos ſæviant adverſa, confugiemus ad te, & opem nobis feres ad ea ſanctificanda. Periculum nobis immineat, confugiemus ad te, & tu ad illud evitandum opitulaberis. Nobis cæcitatem offundat illuſio, confugiemus ad te, eamque tuo freti auxilio diſſipabimus; Patres noſtri tot ſæculis experti ſunt tuæ protectionis effectus; noviſſimis hiſce temporibus nos deſerere incipies? Nunquid pro aliis tantum te Matrem adeo Miſericordem fuiſſe dicemus? *Idem.*

Ratio ſibi amoré Virginis, ideoque & ejus protectionē promerendi eſt illā amare, & in illa confidere.

Sanctam Virginem amore ſummo complecti tutiſſima ratio eſt protectionem adeo benignam promerendi. De hoc non licet ambigere; maximum enim ſecretum vel potentiſſima ad amorem illius captandum illecebra, hæc eſt, ut nos amemus eos, a quibus amari volumus; qui nos in occaſionibus protegunt, ſuo nobis favore, atque auctoritate patrocinantes; hæc enim certiſſima probatio eſt affectionis eorum; eo uſque, ut Deus in Scripturis non aliam præbeat ſexcentis in locis notam amoris erga populum ſuum, quam protectionem ſuam polliceri, & efficere, ut ejuſdem illi ſentiant effectus. Eumdem ſequitur morem Virgo erga illos, a quibus diligitur, & qui penitus illius ſervituti mancipati ſunt. Illos ſuo dignatur affectu, eiſque præbet indicia per eam protectionem, quæ nonnunquam procedit ad ſtupenda miracula; non enim defuerunt ii, quos liberavit a naufragio jam aquis ſubmerſos; quos ab inevitabili eripuit incendio, cohibens impetum flammarum; quibus vitam ſervavit, donec in bene moriendi ſtatum pervenerunt. Integra, & ſpiſſa impleri poſſent volumina exemplis protectionis adeo ſingularis: ſed ne unum quidem invenies, qui favores adeo ſingulares Cæleſtis hujus Reginæ acceptos non retulerit amori, quo ipſa illos proſequebatur. Non

ideo

ideo tamen dixerim, gratias adeo ſingulares exſpectandas eſſe, neque ſperandum, ut Sancta Virgo ſimilia operetur prodigia. Alii ſunt effectus protectionis ſuæ, non minori in pretio habendi, ſcilicet in jugibus periculis ſalutis noſtræ; & his in occaſionibus gaudet nobis patrocinari, & opem ferre illis, quos diligit. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Memet ad pedes tuos proſterno, Virgo Sanctiſſima, ac tuum imploro ſubſidium, ſi me deſeris in extrema hac calamitate mea, actum eſt de me in æternum; ne dicar, Mater Miſericordiæ, unus ex omnibus fuiſſe peccatoribus, cujus lacrimas, atque ſuſpiria neglexeris. Unicum oris tui verbum, & cordis tui deſiderium decidere poteſt de mea æternitate, eamque beatam efficere. Tu me præſenta ad hoc tribunal terribile, & non erit mihi quod timeam; quantumvis ſevera ſit juſtitia, mutabit leges ſuas, Miſericordiæ leges ſecutura, quæ omnino ubi es, non regnare non poteſt. Amor tuus, ac benevolentia ſedabit iram Filii tui, & dejiciet de manibus ejus fulgura, & fulmina in me detorquenda, &c. *Auctor recens.*

Cor meum ſatiſne penetratum eſt ea caritate, quam illa habuit pro me? Eum ne fovet grati animi ſenſum, quem erga illam fovere debet? Quomodo nam uſque in præſentem diem colui Matrem adeo amabilem? Quo ſpiritu feſtos illius dies celebravi? aliquam ne peculiarem erga illam devotionem exerceo? Si mihi metipſi legem impoſui quotidie recitandi orationem aliquam in honorem illius, num fideliter hoc munere perfunctus ſum? Devotio mea erga illam eſtne ſincera? Qua mente, qua cura illas offero preces, quas illi nuncupo? Quonam zelo, & affectu opem ejus imploro? Illam oretenus laudare, & labiis honorare contentus, nunquid abſens ſum corde? nunquid zelo ſuccenſus ad illius prærogativas laudandas, eadem alacritate virtutes ejus imitor? Quam ingratus eſt Filius, ſi vel uno momento cogitare ceſſat de Matre omnium Matrum optima, & ſuaviſſima! Quam protectionem ſperare poteſt a Matre judicis ſui ille, qui toties & Filium laceſſivit, & Matrem dedecoravit! O Virgo Sancta, quæ Omnipotens es in Cælo, & in terra, & in corde meo, utere poteſtate qua frueris, loquere pro me ad Filium tuum; amove a me, quidquid poteſt longe me facere a te: tuere in me confidentiam, quam in te habere debeo. *Alius Auctor Recens.*

Cultus Sanctiſſimæ Virgini habendus cum fervore eſſe debet conjunctus; hoc teſtantur magnus Templorum numerus nomini ejus ædificatorum in omnibus terrarum partibus; hæc feſtorum dierum frequentia inſtitutorum ad recolendas cum honore omnes vitæ ſuæ actiones; hæc loca deſtinata in regione qualibet ad illam variis in neceſſitatibus invocandam; hæc vota publica, & oblationes, hæ ferventiſſimæ preces in Officio Divino inſertæ, hæ ſocietates perſonarum Deo devotarum ſub ejus auſpiciis, hæc feſtinatio gentium omnium in illius clientelam confluentium. Ex quibus inferendum eſt, quod laudes ejus imminuere, prærogativas ejus in dubium revocare, ſub exceſſus colore vel confidentiam in illa repoſitam, vel praxim inſtitutam cultus, & religioſi honoris, qui præſtatur illi, deterere, ſemper hunc hæreſeos Spiritum extitiſſe. *Pater Aurelianenſis loco citato.*

F I N I S

Tertii, & Ultimi Tomi Myſteriorum.

R. P. VINCENTII

HOUDRY

BIBLIOTHECA CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:

INSUPER ET CÆREMONIAS, CONSUETUDINES, ET ECCLESIÆ PLACITA,

E GALLICO SERMONE IN LATINUM TRANSLATA.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO CONTINETUR

SUPPLEMENTUM

ad eadem Myſteria.

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS,

Ex Typographia HEREDIS NICOLAI PEZZANA.

MDCCLXXIX.

SUPERIORUM FACULTATE.